RVRÆMONDA
VIGENS,
ARDENS,
RENASCENS,

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO,

ALEXANDRO VII.
PONTIFICI OPT. MAX.

TOTIUS VIRTUTIS AC PIETATIS THESAURO,

PRO SUA IN EAM,

EJUSQUE ZELOSISSIMUM ANTISTITEM,

ILLVSTRISSIMÆ PROSAPIÆ VIRVM,

EVGENIVM ALBERTVM D'ALLAMONTIUM,

MISERATIONE, AC MUNIFICENTIA.

AD EXIGUUM

TANTI SOLATII, VERE PATERNI,

AC SVBSIDII PRORSVS OPPORTVNI

HOSTIMENTUM,

JURE MERITISSIMO,

CULTUQUE DEMISSISSIMO

CONSECRATA.

A. G. D. B. C. R.

BRUXELLÆ,

Typis *Guilielmi Scheybels*, Typographi jurati, in Plateâ Scrutariorum, ad insigne S. Ioannis-Baptistæ.

ANNO M. DC. LXVI.

SANCTISSIME PATER,

TER OPTIME,

TER MAXIME,

RVræmondam, Geldriæ Regiæ caput, in quâ per ſedecim annos Supremi iſtius Provinciæ Concilii Senatorem egi, & quam eodem tempore non ſemel tum à Gallis, tum à Batavis, à quibus bis ſubjugata, totieſque liberata fuerat, trepidantem, dein etiam extra omnem Belli aleam, *Pace* cum his, anno ∞. IↃC. XLVIII. cum illis ∞. IↃC. LIX. concluſâ, exultantem vidi, deſcribere fuit animus, pro affectu, quo in illam Civitatem, quaſi in alteram meam Patriam, feror; eamque repræſentare *Vigentem*, *Ardentem*, ac *Renaſcentem*. Renaſcentem, inquam; ſed Gratiâ ac Beneficentiâ cum primis tuâ, *Sanctiſsime Pater*, qui Populum iſtum, afflictum nimis, pro ingenitâ tuâ miſericordiâ, ac in omnes effuſâ bonitate recreare dignatus es, ac refocillare, in ferventiſſimo illo ſuo Antiſtite, Paſtore verè bono, ac animam ſuam ponente pro ovibus ſuis, tum literis Apoſtolicis, prorſus conſolatoriis, tum etiam opportunis numorum ſuppetiis, quibus ipſi Epiſcopo, cui, præter veſtem ac Breviarium, nihil erat reliquum, & indigentioribus ſuccurreres Civibus, vel ſic Beatus à Deo, Beatiſſime inter homines, *qui intelligis ſuper egenum &*

pauperem. Cujus & ingentis beneficii, dum ſtabit Ruræmunda, quæ jam cecidit, ac reſurgere vel ſic cœpit, *memoria in benedictione erit*; hæc illa ipſa eſt Civitas, in quâ ante annos undecim exaltationem Sanctitatis tuæ eâ ſolemnitate celebrare adniſus ſum, concurrentibus Primoribus Vrbis, tum Eccleſiaſticis, tum ſæcularibus, ut Deſcriptio hujus feſtivitatis unà cum toto apparatu in librum, quem mittere me tum Romam memini, excreverit: In qua & Sanctitas tua Tranſlationem Cathedræ Epiſcopalis, ante annos ſeptem, efflagitante id eodem ſeduliſſimo Antiſtite, cui decor Domûs Domini ſummopere cordi eſt, laudavit & approbavit; ubi viderat & examinari juſſerat ſcriptum meum totius tractatûs, ſuper eâ habiti cum Capitulo, Concilio, Magiſtratu, Patrono Eccleſiæ, Paſtore, Ædilibuſque, cui negotio cum Ampliſſimo Viro *Gerardo Lommio*, Collega meo, deputatus à Rege fueram: In qua item Civitate, & Eccleſia Cathedrali eſt Sodalitium Romipetarum, quod & Teneræmundæ, ac alibi celebratur, ſed an ullibi tàm ſolemne ſit, ignoro: quotannis enim ipſo Sanctorum Petri & Pauli feſto, in ſplendido Miſſæ ſacrificio, comparent, qui urbem viderunt, quos *Romaniſtas* vocant; quo finito, ardentes cereos geſtantes, Supplicatione, præcipuas plateas, ac compita obeunte, præcedunt Venerabile, non minori pietate, quàm mox hilaritate unà convivunt, numquam non memores ſanitatis Sanctiſſimi, in cujus eximias laudes, iſto præſertim die, ac ſympoſio diſertè prorſus inter fœcundos calices excurritur. Hanc Civitatem, Romæ ac ſanctæ Sedi tàm devotam iſto ſuo cultu promeritam eſſe facilè quis conjiciat in ſummâ ſuâ

af-

afflictione hoc à Beatitudine tuâ ſolatium, hoc ab eâdem ſubſidium, cujus medietatem opt. Antiſtes in reædificationem Epiſcopalis Palatii, in cineres redacti, alteram *diſperſit, dedit Pauperibus*; ſicque nihil ſibi ſervavit, præter ingens meritum, ex quo ampliorem ipſo etiam Idumæo, Patientiæ totius Coryphæo, quem non tantùm dicto ſuo, ſed & facto vivè expreſſit, benedictionem à cœlo accepit: nam ubi *addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Iob duplicia*, illi certè idem Dominus ſuperaddidit decupla, dum Auguſtiſſimæ *Mariæ Annæ*, Hiſpaniarum & Indiarum Reginæ Matri, Viduæ, Regenti, imò per ipſam, Regum ætate Minimo, Poteſtate Maximo, *Carolo II.* quem idem ipſe Dominus feliciter adoleſcere ac ſeneſcere faciat! inſpiravit, hunc tam eximium & excellentem Antiſtitem ad Epiſcopatum Gandavenſem Præſentare ac Nominare, his ipſis literis, quas tum obſervantiæ in ſanctam Sedem Regiæ, tum optimorum votorum à tantis Monarchis Beatitudini Tuæ, ejuſque incolumitati factorum intuitu, operæ pretium mihi viſum fuit hiſce ſubnectere: vel eò magis, quòd hæc tam digna, tamque omnibus probata Nominatio Epiſcopalis prima ſit, quæ ſub Auguſtiſſimo CAROLI, Regis noſtri ſuaviſſimi, nomine prodiit. Hoc profectò fuit benè incipere, & ab Iove, ut ita dicam, principium ſumere, dum Eccleſię Dei tam rectè & ſanctè providetur. Sed audiamus ipſum CAROLVM, Regis delicium, ipſamque *Mariam Annam*, Reginarum decus & exemplar, Beatitudinem tuam alloquentes, & proſpera quæque voventes.

SAnctissimo in Christo Patri & Domino, ALEXANDRO VII. divinâ providentiâ sacrosanctæ Romanæ, ac universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo. CAROLVS, Dei gratiâ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, &c. Rex. Et Maria Anna, Dei gratiâ, etiam Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, &c. Regina, dicti CAROLI Filii Nostri Mater, Tutrix & Curatrix, & Regnorum, Ditionumque suarum Gubernatrix, salutem, fœlicitatem, & filialem observantiam.

Sanctissime Pater, quum tam jure Regaliæ, quod Prædecessoribus nostris ad Ecclesias suarum Ditionum, in inferiori Germaniâ sive Belgio sitas, competere dignoscitur, quàm ex Indulto & concessione factâ Belgii Principibus, concessum datumque sit ad Archiepiscopatus & Episcopatus in iisdem Ditionibus & Provinciis Germaniæ Inferioris & Belgii, personas idoneas & nobis gratas & acceptas (prout in Bullâ desuper expeditâ continetur) Beatitudini vestræ Nominare & Præsentare, ut de illis ad nostram Nominationem & Præsentationem provideatur, ne Ecclesiæ harum Provinciarum, Pastorum solatio diu careant, his præsertim deplorandis temporibus, & rerum fluctuatione, in quâ eorum præsentia & vigilantia imprimis est necessaria, ut Dominia ista nostra patrimonialia in avitâ Religione Catholicâ Romanâ, sine labe, & scandalo conserventur: ad Episcopatum Gandavensem, qui jam pridem vacat, admodùm Reverendum, nobis dilectum, & fidelem, Eugenium d'Allamont, Malandri Dominum, Episcopum Ruræmundensem, cujus in sanctam Sedem merita, nec non pietatem, zelum & studium in præfatam Religionem Catholicam habemus perspecta, insuper vitæ & morum ejus integritatis & litteraturæ intuitu, Sanctitati Vestræ, ut personam idoneam, & Nobis gratam & acceptam, per has literas Præsentamus & Nominamus, & quâ decet, humilitate & Reverentiâ petimus, ut suprà dictum Eugenium d'Allamont, ad hanc Nominationem & Præsentationem, eidem Ecclesiæ præficere & providere velit, nec non diplomata, ut in similibus fieri consuevit, desuper expediri jubeat, quod Deo erit gratissimum, & Sanctitas Vestra & Nos officio nostro satisfecisse videbimur, quum prædictæ Ecclesiæ talis

præ-

præficitur Vir, qualis ad ejusdem administrationem poterat desiderari. Deus Opt. Max. Beatitudinem Vestram Regimini, conservationi & incremento suæ sanctæ & Universalis Ecclesiæ diu & felicissimè servet incolumem! Datùm Madriti, die primâ mensis Februarii, anno millesimo, sexcentesimo, sexagesimo sexto, Regnorum verò Nostrorum CAROLI Primo. Adnotatum erat: *Velada* V^t. Inferius erat scriptum: *Sanctitatis vestræ Perhumilis, devota, & observantissima filia,* Signatum, Maria Anna. *Subsig.* Ioannes Vecker.

A Summo Rege, Summâque Reginâ ad Te, Summe Pontifex, redeo, summèque voveo, ut Beatitudo Tua conatum hunc meum boni consulat, eodemque intueatur oculo, id est gratioso toto ac blando, quo cuncta mea solet. Sic ego Laborem meum, quem amore Sanctitatis Tuæ lubens suscepi, etiam in tàm infelici argumento felicem dixero, ad sacratissimos ejus Pedes me prosternens cum filiis meis *Carolo Constantino, Justo Adeodato*, & *Alexandro Septimio*: quorum duos priores jam nuper ditare, ornare, ac beare amavit Beatitudo Tua, dum uni *motu proprio* Canonicatum in Cathedrali Brugensi; alteri in insigni Collegiata Insulensi, *ore proprio, & sic sacro vocis oraculo* tam benevolè quàm generosè, conferre dignata fuit; tertium autem, qui mihi est natu septimus, in filium suum spiritualem assumere, dum illum è sacro fonte suscipere, auspicatissimumque suum Nomen, ipso statim Pontificatûs sui initio, indere pro bonitate, sibi tam propriâ, affectuque suo, in me meosque tam propitio non detrectavit. Hinc profectò in æternum erimus Sanctitati Tuæ mancipatissimi, & quasi per æs & libram empti Pater cum Filiis, & Filii cum Patre,

BEATISSIME, OPT. MAX. PONTIFEX,

Humillimo, obstrictissimo, Devotissimoque ejusdem servo ac obedientissimo Filio

G. DE BLITTERSWYCK.

Mechliniæ, Calendis Octobris, 1666. ipso Divi Bavonis, Gandavensis Episcopatûs Tutelaris.

EMINENTISSIMO PRINCIPI,

FLAVIO CHISIO,

SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

CARDINALI,

Sanctissimi Domini Nostri,

ALEXANDRI VII.

NEPOTI.

AB ipso Sole Romano, à quo totus incalesco, ad primam primæ magnitudinis, ut sic loquar, *Stellam*, debitâ reverentiâ, procedo; *Stellam*, inquam, *Chisiam*, quam eminus orientem, *sex* altissimos celebratissimosque illos *Montes* conscendentem, ac *Septimo*, eique *Sanctissimo*, proximè appropinquantem ante annos sedecim lætus observavi: quæ in roseâ ætatis florescentis aurorâ splendescens, ac in decoro prorsus *Flavio* ad aurum flavescens, in domum meam Ruræmundæ descendere dignata fuit, & quidem sub amicissimâ tesserâ, à Magno ejus Patruo, nunc Maximo omnium Patre, ad me scriptâ, Aquisgrano, die XXII. Augusti, ∞. IↃCLI. in hæc, quæ etiamnum exosculor, verba: *Reddet hasce meas literas is ipse, cui Philomathi* (quantum lumen sub hoc latet Nomine!) *Musæ juveniles dedicatæ fuerunt: verùm quia ignotus omninò cum Nobili altero, & parvo comitatu excurrit, aliquot Batavorum civitates celeri passu visurus, & illicò huc rediturus, Excusabis (ità spero ac desidero) si sui copiam isthic exiguam faciet, cùm tamen pariter mecum vivat addi-*

ctus Tuæ Dominationi, cui precor veram felicitatem.

Antiqua hæc sunt, fateor, usque tamen mihi recentia, & grato sæpius animo memoranda: interim nec nova desũt, quæ recolam, beneficia: Ecce enim binis me Tuis, iisque mellitissimis nuper Epistolis, suprà merita mea non modò honorasti, sed & prorsus inescasti Summi in illis erga me meosque Pontificis constantem affectum, & Tuam etiam, Tanti Patrui, Magne Nepos, propensionem disertissimè testatus, dum in unis non sine gaudio, ac aliquo etiam rubore, lego hæc gratiosissima prorsus verba: *Libenter vidit S^mus Dominus noster filios tuos Constantinum & Iustum Adeodatum ad sacra Urbis loca lustranda, & Sanctitatis suæ Pedes deosculandos Romam delatos; gratum quoque illi fuit paternæ probitatis indolem in eorum utroque agnoscere. Unà autem cum tuis literis accepit dissertationem de Rebus Publicis, satis non solùm eruditam & solertem, verùm etiam Religionis & Zeli plenam: hæc ut suo nomine rescriberem, injunxit mihi Sanctitas Sua, Unàque Apostolicam Benedictionem tibi elargirer, veteris suæ ergà te benevolentiæ testem, quod dum exequor, meam tibi operam offero, ac benè precor à Deo.*

In alteris verò inter alios plures, eosque & amicos sermones, hæc ipsa: *Non inutiles fuerunt literæ tuæ; nam veterem Sanctitatis Suæ erga te, tuamque familiam amorem renovarunt; cujus indicem accipere te jubet Sanctitas Sua, me interprete, Apostolicam Benedictionem, communem quoque filiis tuis, quorum profectũ in literis ac pietate libenter intellexit. Læta interim tibi, faustaque omnia à Deo auguror. Romæ,* XXI. Iulii, ∞. IↃC. LXVI.

Hi-

HIsce, aliisque favoribus, ut nonnullam gratitudinem meam profitear, cogitavi Ruræmundam, ab Eminentiâ Tuâ quondam lustratam, & à me descriptam, Rutilantissimæ tuæ Purpuræ, à quâ pretium ac lucem accipiat, consecrare. Et nonne fœtus hic meus Tibi præsertim, Eminentissime Princeps, debebatur, cui Munificētia ergâ Ruræmundenses Pontificia sementem fecit, Benevolentia Tua incrementum dedit, imò & fomentū, uti ex ipsis ejusdē constat faventissimis literis, quas hisce subjunxi, ut toti pateat mundo illa Opt. Max. Pōtificis liberalitas, ac illa Primarii ejus Nepotis benignitas; taceo igitur, ut Eminentia Tua loquatur, Eminentiori etiam stylo, & ut responsum accipiat, illustrius quoque meo, ab Ill^mo cui tam eleganter ac fraternè scripserat, Episcopo Rurѳmundensi, tum summopere contristato, nunc Gandavensi, atque adeò non parum recreato, cui uti fortunam, ita & Hygejam propitiā voveo, prout & Eminentię Tuę, quam ad multos annos florere Deus faciat cum Beatissimo illo suo Patruo ALEXANDRO, & Ex^mo suo Patre MARIO, qui & me aliàs suavissimis suis literis dignatus est. Tantis ego Patruo, Patri, Filio, me terque quaterque, omni, quâ possum, Reverentiâ subscribo

Humillimum, Devotissimumq; Servitorem,

G. DE BLITTERSWYCK.

ILLVSTRISSIME ET REV^MB DOMINE,

Omnium in se oculos, lachrymasque convertit incendium Ruræmundense: neque enim vidit hæc nostra ætas in Orbe Christiano spectaculum tristius. Incredibile autem dictu est, quo Paterni doloris sen-

sensu primum tantæ calamitatis nuntium acceperit S^mus D. N. quem postea literæ Dominationis Tuæ justâ Sanctitatis Suæ implorãtes officia renovarunt. Itaque non solùm ea apud Catholicum Regem ex animi tui sententiâ sedulò interponet; verùm etiam quâcumque aliâ ratione poterit, gravissimæ jacturæ ac mærori tuo consultum ibit: cujus rei testes ac sponsores accipiet Dominatio tua hîc adjunctas litteras Pontificias, & per Internuntium Apostolicum, Bruxellis commorãtem, auri collybum, quem in istius Ecclesiæ reparationem; & si illi provisum jam fuerit, in privatis incommodis sublevandis, impendes. Multò plura necessitatibus istis Pontificia Pietas largita esset, si per Apostolici Ærarii angustias licuisset. Si quid est autem, in quo opera, atque officia mea solari dolorem & Ecclesiam tuam possint, non committam, ut ea à te desiderentur. Interum dimittere nolui occasionem, voluntatem hanc meam Dominationi Tuæ aperiendi, cui vera à Deo solatia auguror, voveoque. Romæ, 18. Iulii, 1665. uti Frater Amantissimus

Dominationis Tuæ

CARDINALIS CHISIVS.

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME D^NE.

Cælestes Spiritus, qui Divino Throno circumstant, dum intelligunt calmitates nostras, iis à Deo remedium expostulant, ac sæpè impetrant, ut quod huic acceptum referimus, illorum intercessioni debeamus. Populi Ruræmundensis, meique imprimis misertus est munificâ suâ liberalitate Sanctissimus Dominus Noster, apud quem dum benignè intercessit E. V. utrique obstringimur, & hoc, inter multa, beneficium E. V. debeo, quòd dignata me sit favore suo, cui dum gratias referre nequeo, illum rogabo, cujus inexhausti sunt Thesauri, ut illis uberrimè cumulet E. V. cui mea obsequia devoveo, & maneo, Eminentissimæ & Reverendissimæ Dominationis vestræ, &c. Ruræmundæ, 10. Augusti, 1665.

CIVITATIS RVRÆMONDENSIS,

Qualis ante ultimum fuit incendium, DESCRIPTIO.

RVræmondam descripturus, operæ pretium me facturum existimo, si quid de ipsa Regione, cujus illustriorem partem facit, præmisero, circà quam notatu digna plurima, nec passim obvia, tum antiquorum temporum, tum recentiorum monumenta suppeditant.

Gelria igitur, quæ inter celebratas illas septemdecim Belgii Provincias quartum locum obtinet, & appellationem suam, secundùm aliquos, nacta est à *Gelduba*, loco olim nobili, paucis infrà Novesium milliaribus, quem sæpius apud Tacitum ac alibi legas, quem & Plinius suo ævo Castellum vocavit, Rheno impositum, siseris proventu opulentum, cujus esu tantopere delectatum fuisse Tiberium testatur, ut quotannis inde Romam ad se pervehi curarit, unde & *Geldubense Siser* Romæ tunc multùm celebre ac in pretio fuit, ut & Anseres ex istis partibus, quos Plinius *Gansas* vocat à voce Teutonica, quâ *Gansen* in hodiernum diem à Belgis hæc animalia appellantur. Secundùm alios verò ab Arce *Gelra*, ad ripam Niersæ fluminis, à Wichardo & Lupoldo fratribus, Ponti ac Vertæ Toparchis, olim conditâ; quam sic nominatam aliqui voluêre à mugitu portentosæ cujusdam belluæ, sub Mespilo latitantis, totamque latè viciniam infestantis (similis fortè angui illi, in Africa, apud Bagradam Flumen, quem Titus Livius memorat, Attilii Reguli exercitum usu amnis prohibuisse, multis militibus ore immani correptis, pluribusque caudâ suâ collisis) quam dum modò dicti fratres, indigenarum calamitati-

bus moti, insigni fortitudine conficerent, clamasse ajunt, *Gelre, Gelre*: nisi tamen malis, allegorico sensu, eam, non tàm bestiæ, quàm seditiosæ multitudinis (quæ & Hydra rectè, sive capitum plurium bellua non incongruè dicitur) vociferationem fuisse, æs sibi dari, quod vulgari vocabulo *Gelre* sonat, inclamantis.

Bernardus Furmerius, in Annalibus Frisicis, primam opinionem, ut fabulosam, refellens, aliam etymologiam adfert, dum ait ex palude istius regionis scaturiisse amnem, *Galam* dictum, qui crebrâ suâ inundatione totum circumquaque agrum & fruges devastabat; quem cum aggere coërcuissent isti duo Fratres, ac in Niersam derivassent, ad ejus ostium ædificârunt oppidum, quod *Gale-door*, tanquam *Galæ ostium*, & per contractionem *Gaelder* & *Gelder* est dictum. Sicque haud aliter, quàm Hercules compresso Acheloo, Calydoniorum, ità illi Geldrorum ibidem terras fœcundas reddidêre.

Christophorus tamen Brouwerus, Geldrus, Societatis Iesu Religiosus, historiæ cùm prophanæ tum Ecclesiasticæ eruendæ studiosissimus, eoque nomine à Cæsare Cardinale Baronio, tomo x. Annalium suorum, non semel mirificè laudatus, non Fratres illos binos, sed Sanctum Meinwercum, Wichmanni Geldri, ex Adela filia, Nepotem, Episcopum Paderbornensem, reipsâ Draconem occidisse vult, adeoque non in facto, sed personis dumtaxat erratum fuisse.

Ut ut sit, infessa fuit hæc Regio, quaquà latè patet, ante & post tempora Iulii, tum à Menapiis (quorum Pernæ Apiciis olim apud Romanos fuêre in deliciis) Gugernis, Batavis, Usipiis, sive Usipetibus Tencteris,. Tubantibusque, tum à Sygambris (quasi dixeris pro victoria pugnantibus) sive Sicambris, secundùm illud Sidonii Apollinaris: *Detonsus Vabalim bibat Sicamber*; ex quibus & fuisse Clodovæum, primum Francorum Regem Christianum, inde patet, quòd Hincmarus & Gregorius Turonensis,

ſis, in hiſtoria ſuæ Gentis ſcribant, eidem ad fontem vitalem ingreſſo, ſanctum Remigium dixiſſe:

——— *Mitis depone colla Sicamber.*

Moxque addidiſſe: *incende, quod adoraſti: adora, quod incendiſti*; quod ad Gelrici nominis famam ac gloriam plurimùm facit.

Eique poſt ævum Caroli Magni præfuère primùm Advocati, ante Vitalitii, poſt Hæreditarii, ſive Tutores, vel Curatores, vulgò *Vooghden* (unde in hodiernum uſque diem, lætior aliquis Satrapiæ Gelricæ tractus, *Vooghdye*, Græcè βοήθεια, cognominatur) qui ſeptem numerantur, inter quos ordine Quintus recenſetur Sanctus Megengaudus, aliis Megengoſus, Divæ Adelheidis Pater.

Deinde Comites, ab Ottone Naſſovio, anno ∞. LXXIX. quo cum Imperator Henricus Auceps, nomine III. ex Præfecto Comitem Gelriæ creavit, ductâ in uxorem Adelheidâ, unicâ filiâ Wichardi III. ultimi Gelriæ Curatoris; quo & tempore mutata ſunt Gelris inſignia, quibus idem Imperator dedit Naſſovica, omiſſis Plinthidibus, Leonem nimirum aureum, quem & coronavit, in Clypeo cæruleo, pro tribus Meſpili floribus coccineis, in ſcuto aureo, quos loco Principum deinceps geſſit Gelræ oppidum, quod ab inſigni ſua munitione ac Præſidiariorum memorabilibus factis clariſſimum eſt.

Ducatus hic in quatuor partes ſive Tetrarchias dividitur, quæ totidem magnis fluminibus Moſâ, Rheno, modò dicto Vahali, ac Salâ ſive Iſalâ alluuntur; & quatuor etiam Epiſcoporum Iuriſdictionem, nimirum Colonienſis, Trajectenſis, Leodienſis atque Monaſterienſis agnovère ante annum ∞. IↃ. LIX. quo Paulus IV. Pontifex Maximus, efflagitante Philippo II. Rege Catholico, quatuordecim in Belgio, ſummo Eccleſiæ, ac animarum bono, novos Epiſcopatus, inter quos Ruræmondenſis non infimum locum tenet, erexit; præter antiquos quatuor, Cameracenſem, Trajectenſem, Atrebatenſem, & Tornacenſem, quarum Eccle-

ſia-

ſiarum duas priores evexit in Metropoliticas ſeu Archiepiſcopales, ac unà Mechlinienſem, quam, ut ut planè novam, Primam eſſe voluit,& ut illius Archiepiſcopus Primum locum in Conciliis Generalibus vel ſpecialibus ſeſſionibus, aliiſque Actibus ſuper Cameracenſem & Trajectenſem Archiepiſcopos habeat.

Quem & non ſemel S. R. E. Cardinales debito hoc ſuo ac principali Primatis Belgii titulo compellarunt: & quo etiam expreſſo nomine eidem Summus Ponifex Vrbanus VIII. Atrebatenſis Epiſcopi Iuriſdictionem contrà Canonicos tuendam, ac pro viribus fovendam, commiſit, anno ∞. IↃC. XXIII. die XXIII. Novembris.

Tetrarchiarum prima eſt Noviomagenſis, vel Neomagenſis, à Noviomago vel Neomago, Primaria Civitate, quæ Tacito *oppidum Batavorum*, ſecundùm plures, dictum, ad ſiniſtram Vahalis ripam ſita, Imperialis olim fuit, cujuſque territorium Regni titulum habuit, ac etiamnum habet: ideo certè, quòd (uti Regino aſſerit) Carolus Magnus tria Regnis ſuis primaria Palatia conſtituerit, Noviomagum, Aquiſgranum, & Divodurum (idque quod mirêris in uno Belgio) quâ ratione & Aquiſgranenſium fines Regni quoque nomine cenſentur. Ad hanc autem Tiela & Bommelia, præter alias minores urbes, referuntur.

Secunda Ruræmondenſis, à capitali quoque hujus Tetrarchiæ Civitate, ad confluentem Moſæ & Ruræ, Occidentalis videlicet, (Orientali, in Rhenum illabente, ad oppidum Cliviæ Rurortum, quod Ruræ locum ſonat, paulò infrà Duisbergum, olim Diſpargum; in quo Clodius Crinitus, Francorum Rex ſecundus, ac Pharamondi filius, ſedem Regni aliquamdiu conſtituit, cujus & Regia fuit, quæ hodie eſt Curia.)

Sub hac Tetrarchia quoque recenſentur Venlona, Gelra, Strala, Wachtendonca, Erquelena, ſive Herculanum, Echta, & Neoſtadium, ſive Neopolis.

Tertia Arnhemiensis, à præcipua iterum urbe, Arnhemio, sive *Arenaco* Taciti, ad Rhenum sita, sub qua & Hardervicum, quasi dicas Opilionum vicum, Wagheninga, Tacito Vada, ut aliqui volunt, Hattemum, cui Arx munitissima olim adhæsit, & Elburgum.

Quarta Zutphaniensis, quæ & Comitatûs titulo gaudet, & Gelriæ ab annis sexcentis, arctissimo nexu juncta fuit per matrimonium inter modò dictum Ottonem Nassovium, Primum Gelriæ Comitem, & Sophiam Zutphaniensem, Wichmanni Comitis filiam, quæ elatâ Adelheide, altera ei conjux fuit.

Hæc quoque Tetrarchia à primaria Civitate Zutphania nomen suum tenet, complectiturque Doesburgum, meliùs Droesburgum, à Druso nimirum: Augusti, ex uxore Livia Privigno, ac Tiberii fratre, qui ibidem & Arcem struxit, & fossam aperuit, illam Drusiburgum, hanc Drusianam, ab ipso appellatam; per quam videlicet Romanorum exercitum, quem contrà Germanos, in ultionem cladis Varianæ, exactissimè à Dione Cassió descripte, eduxerat, à veteribus Castris, (quorum pars hodie oppidum Xanthense, sive potiùs Sanctense, sic rectè indigitatum à sanctis Victore & Sociis, Thebææ Legionis, ibidem martyrio coronatis) Rheno in Salam coacto, & hinc in Flevum lacum (qui hodie mare Australe dicitur) ac oceanum, eò commodiùs, ac per compendium transferret; quâ & fossâ Germanicus Cęsar, Drusi filius, classe mille navium per lacus, & eundem oceanum usque ad Amisiam flumen, secundâ navigatione, pervectum esse tradit idem Tacitus.

Doetecomum quoque, Lochemum, & Grolla ejusdem Tetrarchię sunt, cum quatuor ab antiquo Baronatibus, qui soli sunt in toto hoc Ducatu, nimirum Montensis, qui pridem Comitatus honore decoratus fuit, Bronchorstius, Baro-Latemus & Wischius, adeoque ex illo capite olim triplex gradus Ordinum in Geldria fuit, Baronum videlicet, Nobilium & urbium: deinceps verò non nisi duplex, nimirum Equestris & Civicus, vernaculè *t Ridderschap und Steden.*

Ex quatuor hisce Tetrarchiis sola Ruræmondensis paret Hispaniarum Regi, reliquis tribus ab Ordinibus fœderatarum Belgii occupatis.

Ruræmonda autem, ad ostium sive os (quod Belgicè *Mondt* dicitur) Ruræ fluvii, qui se ibi in Mosam exonerat, sita, ab eo nomen sortita est (uti & pręter alias plures Teneræmonda & Rupelæmonda appellationes suas habent; Prima nimirum à Tenera, & altera à Rupela fluminibus, in Scaldim, ad dicta loca, labentibus & desinentibus) quasi Ruræ os dicas, olim, *Insula Dei*, nuncupata. Civitas amœna est, non admodùm vasta & dives, Incolis utcumque abundans, ædificiis sacris & profanis præstans, mercaturæ exercendæ peropportuna, nisi avitis ac domesticis opibus mallent uti Cives, qui sine fuco sunt, & morum antiquorum tenaces, quàm aliunde importandis mercibus abundare; qui & ad arma promptiores sunt: latis etiam plateis est commoda, situ ac mœnibus valida, ab Ottone III. Gelriæ Comite, leges municipales; à Cæsare verò Rudolpho, Augustissimę familię Conditore, anno ∞. cc. xc. jus cudendę monetę, accepit, Regente Reinaldo Primo, ultimo Gelrię Comite, Bellicoso dicto; sed qui infelix fuit, dum bis captus, & à Ioanne Primo, Brabantię Duce, in pręlio Woringano, an. ∞. cc. LXXXVIII. pro Ducatu Limburgensi pugnans, & postmodum à filio cognomine, Primo Gelrię Duce, diuturnioris vitę Patris pertęso, honestà tamen in custodià, in qua & anno ∞. ccc. XXVI. obiit, detentus.

Hęc interim Civitas, non semel obsessa & capta, plurimas belli calamitates perpessa est, & ante annos centum & sexaginta serè tota denuò conflagravit.

Hic sedem suam habet Episcopus, unus ex Suffraganeis Archiepiscopi Mechliniensis, dum post multarum urbium visitationem, à Deputato initam, relatum ab eo fuerat, in superiore Gelrię parte, nusquam reperiri commoditatem Ecclesię Cathedralis consti-

ſtituendę meliorem ; quàm in hoc oppido , idque propter Collegiatam ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, in templo,quod à ſancto Spiritu appellatur , & Monaſterium Canonicorum Regularium Ordinis D. Auguſtini , eidem vicinum , quod duo priores Epiſcopi inhabitarunt , emortuis paulatim Religioſis , à Sancto Hieronymo cognominatis : & quod à tertio commutatum fuit cum alia domo idonea , cujus emptionem Sermus Archidux Albertus quatuor florenorum millibus ſublevavit , ex qua Patres Ieſuitæ , qui huc anno ∞ . ıↄc. xı. (qui annus pulcherrimo hoc chronico soCIetas JesV R VreMVnDæ deſignatur) non minore fructu , quàm exſpectatione venerant , concinnum ac elegans Palatium ipſi Epiſcopo ſtruxerunt , qui & in vicem ipſis ceſſit modò dictum Monaſterium , quod etiam functionibus ac exercitiis Religioſorum aptius multò erat.

Hodiernus autem Epiſcopus eſt *Eugenius Albertus*, ex Illuſtribus familiis, à Patre , *d'Allamontiâ de Malandry* , ex qua Comites de *Brandeville* , & tàm in Clero, militiâ, quàm Aulâ multi celebres exſtiterunt; inter quos pro Deo , Rege & Patria modò dicti Epiſcopi frater natu major ac unicus, *Ioannes*, Ordinis militaris D. Iacobi Eques,quartus à Proavis, ejuſdem nobiliſſimę ſtirpis, Præfectus Montis medii, totiuſque iſtius territorii, in acerrima hujus municipii contrà pertinaciſſimum viginti quinque Francorum millium , ipſo illorum Rege pręſente,fortiterque urgente, impetum , defenſione , inter ejuſdem Epiſcopi ulnas , generosè occubuit, & cum ipſo mox oppidum , quod alioquin etiamnum Regi ſuo ſtaret; *Merodiâ* verò familiâ , à matre , quę ſoror eſt ſtrenui illius Comitis *Ioannis*, qui pro Cæſare , & Imperio contrà tot Conjuratos hoſtes , Hameliæ ſuccurſurus , ſanguinem & mox vitam profudit.

Cui *Eugenio Alberto* eſt lemma,verè proprium, & quod Vatis inſtar à multis retrò annis , ipſe ſibi præcinuit, *Patiens eſto :* quippe non modò per ignem , qui tres hujus urbis partes cum Palatio ipſius ac tota ſuppellectile abſumpſit, examinato,ſed & per aquas

tri-

tribulationis, ne dicam, persecutionis, quam & solus pro jurisdictionis Eclesiasticæ tuitione fortiter sustinuit, & generosè contrà ingentes, nimiùmque ferventes Adversariorum, maximè etiam potentium, insultus, feliciter evicit & triumphavit; ad quam insignem litis arduæ victoriam Sanctissimus Dominus noster scripsit illi Breve, quod ad calcar & exemplum reliquorum Ecclesiæ Antistitum hìc subiiciendum duxi.

ALEXANDER PP. VII.

VEnerabilis Frater, salutem & Apostolicam benedictionem: Accèpimus litteras Fraternitatis tuæ, die 22. *Iulii datas, ex quibus non sine præcipuo lætitiæ sensu cognovimus, virtute ac zelo tuo perfectum esse, ut istius Ecclesiæ jura, diu validis Adversariorum viribus oppugnata, tandem, benedicente Domino, quàm defensa strenuè, tàm feliciter confirmata & stabilita fuerint; porrò nobis, in tantis Pontificiarum solicitudinum angoribus, nullum profectò levamen gratius accidere potest, quàm ex Dilectorum Fratrum in propugnandis Ecclesiarum juribus, & aliis Pastoralis vigiliæ muneribus obeundis egregiâ pietate atque constantiâ. Quare sicut animi sacerdotalis tui fortitudinem in perferendis pro Domo Dei tàm gravibus molestiis & laboribus enixè commendamus, ità sanè ut eamdem perseverantiam & infractum robur in omnibus ad Ecclesiæ rationes, & animarum, tibi commissarum salutem pertinentibus rebus imposterum quoque retinere velis, etiam atque etiam te hortamur: hoc profectò, nedum cum tui summa laude, Pontificiam voluntatem; & bonorum omnium existimationem tueri poteris; verùm, quod caput est, ipsius Dei gratiam & protectionem novis accessionibus auctam usque demereberis: quod ut pleniùs assequaris, Fraternitatem tuam Apostolicâ benedictione nostrâ paternè donamus. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 25. *Augusti*, 1663. *Pontificatûs nostri anno nono.* Erat signatum, *I. Florentinus.*

Hic

Hic autem numquam satis laudatus Episcopus est ordine Quinctus, dũ Quatuor alii præcessêre, Viri, æternitate quoq; dignissimi.

Guilielmus Damasi Lindanus, qui, teste Baronio, in Notis suis ad Martyrologium Romanum, 23. Novembris, (quas Magnus ille Cardinalis, publici juris facturus, unius *Lindani* gravissimo judicio voluit subjectas) *fuit non tantùm omnis generis litterarum conditione clarißimus, verùm etiam egregii Confessoris fidei nobilitatus insignibus: quippe qui exilia, proscriptiones, ærumnas incredibiles, ac mortes ferè frequentes, inconcusso robore, fidei caussâ, sustinuit, quem, tot auctum victoriis, ac majora conantem, hisce diebus Romæ videre meruimus*, &c.

Hic alterâ in Vrbem, anno M. D. LXXXIV. institutâ profectione, & absolutâ, anno deinde M. D. LXXXVIII. ad Gandavensem Cathedram promotus, vix trimestri spatio supervixit, moritur enim IV. nonas Novembr. annos natus LXIII. & communi tumulo sepelitur in Cathedrali cum primo ejus Ecclesiæ Episcopo, Amico & Collega, Domino Cornelio Jansenio, additâ hâc inscriptione:

Vnicus est Phœnix, cineres hac tumba duorum
Phœnicum veræ Relligionis habet.

D. O. M.

R*Everendißimis in Christo Patribus, S. Theol. D D. Cornelio Iansenio, & VVilhelmo Damasi Lindano, Primo & Secundo hujus Vrbis Episcopis, ob multos in scrutandis & interpretandis sacris Scripturis exantlatos labores, & merita, ad Dei Ecclesiam & Rempublicam Christianam, positum: obiit hic* II. *Novembris*, M. D. LXXXVIII. *ille verò* XI. *Aprilis*, M. D. LXXVI.

Quomodo in vita sua dilexerunt se, ita in morte non sunt separati.

Henricus Cuyckius, qui & Ecclesiæ Orthodoxæ vivo ore, scriptisque plurimùm profuit, ut multis commemorat Arnoldus Havensius, libro de novorum in Belgio Episcopatuum erectione, cu-

jus & Epitaphium, ſucco plenum, addidiſſem, niſi flammâ nuperâ cum reliquis Eccleſiæ Sancti Spiritûs ornamentis periiſſet.

Iacobus à Caſtro, qui & pluribus virtutibus, ac ferventiſſimis, doctiſſimiſque Concionibus, quæ à morte ipſius editæ, pro titulo *Regnum Chriſti* præferunt, Gregem ſuum, Vir Optimus, indefeſsè præivit, ac multùm ædificavit: ſicque ſe in utraque geſſit fortunâ, ſive ſub Batavo ſuſpiraret, ſive ſub Hiſpano reſpiraret, ut examuſſim adimpleverit Dictum, quod, ut vero Præſule, ac bono Paſtore dignum, aſſumpſerat: *Eſto vigilans.* Reliqua dicat Epitaphium, quod in Choro Sancti Spiritûs expreſſum fuit, hâc formâ:

D. O. M.

Iacobi à Caſtro, quem Amſtelodamum terris dedit,
Lovanium Theol. Doctorem coluit,
Ruræmonda Epiſcopum tertium habuit,
Quod mortale fuit,
Hîc ſitum eſt.
Virtutem Viri immortalem, innocentiam, prudentiam, ſubmiſſionem, auctoritatem, caritatem, bonorum, ſed & vitæ ſubinde pro ovibus prodigam,
Quæ maximis eum priſci ævi
Præſulibus æquavit,
A qua plus lucis accepit Infula,
Quàm contulit,
Breve marmor non capit.
Illum annis emeritum, non animis,
Mors ex inſidiis aggreſſa,
Non improvidum, ſed vigilantem,
Ac eodem die ſacris operatum,
Subito Catarrho,
Pœnè ſtantem oppreſſit,
Anno M. DC. XXXIX. Febr. XXIV.
Ætatis, LXXIX. Sacerdotii, LIV.
Epiſcopatûs, XXIX.

Andreas Cruesen, qui hanc suam Sponsam, post viduitatem duodecim annorum & ampliùs, squallore penitus obsitam, & tantùm non collapsam, gratissimo suo adventu ità recreavit, ac solo, quo ei præsedit, lustro, tàm cultam ac decoram reddidit, ut sæculum impensum diceres; qui, inquam, Munus suum Pontificale tàm laudabiliter ibidem obivit, ut ad Primatum totius Belgicæ evehi meruerit, Archiepiscopatum videlicet Mechliniensem, ab ipsa quondam Purpura illustratum, & quid nî deinceps etiam illustrandum? in quem eo Cleri ac populi applausu introductus fuit, quo ante eum nemo: & dignus etiam sit habitus, qui mox à Rege maximo, magnus Antistes (quem annare Deus faciat ac perennare!) in suum Statûs, quem vocant Senatum cooptaretur. Quemque celsi Brabantiæ Ordines, inter Viros tot Eximios, Illustres ac Magnificos, pro Capite suo venerantur: sed & lege Præcellentis hujus Viri, mortem (quam tamen terribilium omnium terribilissimum appellat Philosophus) non formidantis, &, quod stupeas, præstolantis, Epitaphium, magnifico prorsus Mausolæo, in quo medius flectit, hinc inter Temporis, à tergo falce suâ imminentis, sed à Genio detenti, statuam, sub qua leguntur hæc verba: *Tempus miserendi ejus, quia venit tempus*; illinc Christi Resurgentis, sub qua hæc: *Ego sum resurrectio & vita*, inscriptum, à cornu dextro summi Altaris, quod ipsi Vrbis Mechliniensis Apostolo & Martyri, & sic Ecclesiæ ac Diœcesis suæ Tutelari, maximâ munificentiâ, & tantâ mole, quanto splendore, anno proximè elapso, quem hoc ipsum Divi Nomen, sanCtVs RVMoLDVs, aureis in Ara conspicuum literis, graphicè declarat, cōstrui curavit.

ANDREAS CRVESEN,
V. Mechliniensium Archiepiscopus,
Qui non timuit mortem à tempore,
Quia exspectavit immortalitatem
A resurrectione;
Vt beatam habeat, precare Defuncto.
Anno Chri. M. DC. LXV.
Ætatis LXX ......
Dignitatis ......

In hac quoque Civitate Aulam suam habet ac residere solet Gubernator, pro Rege Locum Tenens, qui & Capitanei Generalis titulo honoratur: is modò est, ac à multis jam annis fuit *Philippus Balthasar Villani à Gandavo*, Princeps Isenghemius, Eques Aurei Velleris, suæ M^tis ab interioribus Cubiculis, ac à supremis Belli Consiliis in Hispania, (ubi pridem contrà Gothalanos ac Lusitanos virtutem suam militarem, ac fidem Regi suo probavit, cui & se & libertatem, ab his in prælio captus, ac per annos aliquot carceri mancipatus, consecravit,) Senator, qui comitate morum, genii suivitate, ac ingenii dexteritate cunctos sibi devincit, ac laudes promeretur.

Est & hìc supremum Provinciæ Dicasterium, quod per *Arrestum*, ut vocant, judicat, compositum ex Cancellario (quo Amplissimo Munere Magni olim ac recèns Viri, egregiè perfuncti sunt) duobus Senatoribus equestris Ordinis, & sex Consiliariis Iure-consultis, inter quos est & Fisci Advocatus, quem Regis Tutorem appellant, & Grapho.

Rationum item Camera, cui & Hollãdica olim juncta, sub uno utriusque Præfecto, quem proinde Superintendentem vocant, quatuor Magistris, duobus Auditoribus, ac uno quoque Grapho.

Magistratus autem Ruræmondensis constat ex uno Consule, qui & Primarius est & Equestris nominatur, Gelricè *Ritsborghmeester*, qui & eo pollet honore ac authoritate, ut Ordines Provinciæ, dum Regis ac Patriæ tractanda sunt negotia, convocet; iisque in Comitiis illis Nobilium atque Vrbium solemnibus, quæ nonnisi hac in urbe celebrantur, præsideat, undecim Scabinis sive Senatoribus Civilibus, uno Quæstore, & duobus, qui à Secretis sunt.

Hunc Senatum Civicum consulunt plures alii Magistratus inferiores, qui ex decreto ejus judicant, adeoque hic Ruræmondensis

ſis Magiſtratus vocatur Tribunal Capitale, vernaculè *Hooft-ghericht*, hujuſque decretum, ſive ſententia, *Hooft-oordeel*, quod Capitale Iudicium ſonat, idque non modò in Criminalibus, ſed & in Civilibus cauſis.

Continet hæc Civitas, præter unum Xenodochium, quatuor inſignes Virorum Conventus, nimirum Carthuſianorum, quod perântiquum, vaſtum ac opulentum eſt Monaſterium, & quod cruento variorum Religioſorum martyrio, à ſævis Auriaci militibus, Vrbe hac, anno CIↃ. IↃ. LXXII. interceptâ, miſerèque direptâ, immaniter illato, uti confractæ, ac ferro diſſectæ Calvariæ fidem, non abſque pio aliquo contuentium horrore faciunt, nobilitatum; quod & à duobus Celeberrimis Viris, eruditione ac ſcriptione Clariſſimis, quorum & prolixè meminit Abbas Trithemius, eſt illuſtre: à Bartholomęo nimirum, quem *Priorem Bethlehemiticum*, à ſacello vetuſtiſſimo, ex ſecto lapide affabrè conſtructo, & Carthuſiæ huic, quâ antiquior eſt, adjacente, paſſim nominant; & *Dionyſio de Leeuwis*, cognomine *Ryckelio*, qui per Antonomaſiam *Carthuſianus* dicitur, & ſanctitate conſpicuus eſt, qui divinis etiam revelationibus dignus eſt habitus, unde & *Doctoris exſtatici* nomen obtinuit, qui (teſte Theodorico Loërio, ejuſdem Inſtituti Religioſo) tot ſcripſit atque edidit libros, ut niſi eoſdem propriâ manu exaraſſet, incredibile foret unum hominem, qui vel nulli alteri operi animum adiiceret, potuiſſe omnia legere, nedum meditari, componere, ſcribere, atque corrigere. Horum autem Catalogum recenſet idem Trithemius. De quo & fertur Eugenius IV. Pont. Max. cùm ex libris *Dionyſii*, neſcio quem, ſibi vidiſſet oblatum, dixiſſe: *Lætetur Mater Eccleſia, quæ talem habet filium*, teſte Papirio Maſſono, in vita Pauli II. Ad quem exſtant quoque plures Nicolai Cardinalis Cuſani Epiſtolæ. Lubet etiam tum Sancti hujus Viri, tum Civitatis Ruræmondenſis gratiâ, ſubnectere, quod Suffridus Petri, Friſius (quem prędictus Furmerius, itidem Friſius, Præceptorem laudat) in Appendice ad Chronicon Epiſcoporum Leodienſium, à Io. Bavaro adu-

que Erardum à Marca, sive ab anno ∞. ccc. lxxix. ad annum ∞. iↄ. v. quam Ioannes Chapeavillius luci asseruit, pro re verè memorabili ac prorsus horribili adfert. Verba autem ejus hæc sunt, quæ considerari, imò masticari merentur.

Anno 1469. moritur Dionysius de Leeuwis, oriundus ex pago Richel, Comitatûs Lossensis, Leodiensis Diœcesis, professus Ordinem Carthusianorum, unde *Dionysius Carthusianus* vulgò nuncupatur: hic dum viveret, sacrarum litterarum scientiâ & vitæ sanctimoniâ, omnibus sui Ordinis Fratribus facilè præluxit. Vt taceamus modò plures gratias, quibus eum Deus donavit, prophetiæ dono decoratus fuit: quod pluribus exemplis, ex vita ejus depromptis, posset doceri, unum sufficiet enarrare, quod de quodam Episcopo Leodiensi, sui tẽporis, refert. Sic igitur in ejus vita habes.

„ Non abs re putari debet (quoniam Principum fecimus men-
„ tionem) si de Episcopo etiam Leodiensi narrationem historiæ
„ prosequamur. Fuit hic, de quo loqui volumus, (neque enim no-
„ minatim traduci par est) vir sęculo quidem idoneus, at qui minùs,
„ quàm par fuit, præstabat Episcopum.

„ Hic spectacula, torneamenta, cæterosque id genus ludos mi-
„ litares in pia illa instituit Ruræmonda: (sic enim placet, nec im-
„ meritò quidem, pium illud vocari oppidum, quod hactenus præ-
„ dicatum fuit, devotioni aptius, quàm vanitati; nec hodie puto tam
„ refertum annis, quàm doctis, piisque viris) itaque ad hanc Ruræ-
„ mondam undecumque advocatos Nobiles, dum ipse in oppido
„ expectaret, necessariaque Theatricis his ludis vir Ecclesiasticus pro-
„ videret; accidit illum intereà Carthusiam petere, ubi postquam
„ cum *Dionysio*, quem sanctitatis opinio magnum atque multis
„ effecerat celebrem, varia contulisset, non erubuit se jactitare,
„ quàm magnis impensis militaribus his ludis inhiaret, quamque
„ daret operam Nobilibus excipiendis, & magnificè tractandis; in-
„ gemiscens *Dionysius*: O, inquit, R. Pater hæc etsi admittenda sunt

Prin-

„ Principibus, Ecclesiasticis tamen Viris, & præcipuè Episcopis, non „ conveniunt, indignissimum est ac prorsus iniquum, ut Christi pa- „ trimonium in scenicos hos usus profundas; parce igitur Reveren- „ tiæ Tuæ quæso, Pater, Episcopus es; parce honestati Clericali, par- „ ce tandem pecuniis, & ab hac dementia prorsus desiste.

„ Ad hæc Episcopus, scio me Episcopum, cui hæc prophana spe- „ ctacula jam olim sacri Canones interdicunt; at fatearis etiam ne- „ cesse est, me Principem esse, Ducem, Marchionem atque Comi- „ tem, quos arma venustant, quibusque judicia & imperia tempora- „ lia subsunt: horum nunc mihi munus obeundum. Cui *Dionysius*: „ Non propterea, Pater, Episcopus es factus, ut Principem geras, aut „ Ducem; sed ut præstantior, dignior que habearis Episcopus, utque „ malis terribilior, atque ad tuendas Christi, Ecclesiæque leges sis „ potentior, datus est tibi ab Ecclesia Principis & gladius & honos. „ Itaque officium tuum est gregis Dominici curam agere, Diaboli „ laqueis irretitas animas eruere, oves tibi commissas Dei verbo pas- „ cere, aberrantes reducere, resipiscere nolentes ad ovile compel- „ lere, præstare te Christi Vicarium, non Mercenarium, sed anima- „ rum Pastorem agere, ovibus exempla sanctæ conversationis, qua- „ si iter ad sequendum ostendere, odore bonæ famæ præire, atque „ ut simul multa dicam, Gregem, tibi commissum, cœlis introduce- „ re, non ad inferna detrudere.

„ Inter hæc autem, cùm omnia etiam benè feceris, scire debes, „ quòd servum te vocat inutilem Dominus: unde tibi cavendum „ est, nobisque vehementer mirandum, cùm tua sollicitudo pro „ singulis animabus, tibi commissis, rationem sit reddítura, ne vel „ una pereat, quomodo per ignaviam tuam, quasi securus, possis „ vel audeas de ludis & spectaculis militaribus cogitare.

„ Quid quæso, Pater, Deo respondebis, pro creditis tibi anima- „ bus, quas intereà hoc diabolico negotio tu ipse scandalisas? quâ „ fronte audebis apparêre coram judice Christo, cui tu animas, pre-

tio-

„ tioso ejus sanguine redemptas, abducis, ac morti æternæ tradis,
„ quarum lacte & lanâ abstractis, tu in deliciis vivis, ut quid Ecclesiæ
„ bona, quæ pauperibus & divino cultui erogare deberes, in sceni-
„ ca hæc spectacula, ad Christi opprobrium, ad Ecclesię dispendium,
„ in perditiones animarum, luxu tuo profundis? Quòd si omnino,
„ quæ digna sunt Pontifice, renuis agere, parce saltem ovibus,
„ quandoquidem minoribus impensis ac laboribus potes tu solus
„ æterna tibi tormenta comparare.

„ Hæc Episcopus audiens, tàm indignabundus, quàm sui pro-
„ positi pertinax, abiit; cui, jam recedenti, dixit *Dionysius*: Rogavi-
„ mus te, Pater, ut, quoniam in Religionis positus es exemplum, spe-
„ ctacula hæc vana non perficias in perniciem animarum, sed au-
„ dire contemnis; rogabo potentiorem Dominum, cui te quoque,
„ velis nolis, subjectum esse oportet, hic me exaudiet, hic insipientiæ
„ tuę conatus, etiam te invito, impediet. Surrexit Episcopus, & nescio
„ quid secum stomachans, relicto *Dionysio*, quod cœperat, molie-
„ batur perficere. At contrà *Dionysius* illum prævenire festinat: si-
„ quidem ad Dominum conversus eisdem utitur & contrà Diabo-
„ lum & contrà Episcopum armis, fletu videlicet & oratione: quid
„ moror? nihil profuit Episcopo inflata potestas, nihil contulit ei,
„ quod proficeret industria accelerans. Plus valuit oratione *Diony-*
„ *sius*, nam Episcopus, mox ut abierat, antequam pervenisset ad do-
„ mum suam, podagræ doloribus vehementissimis corripitur, adeo-
„ que pedibus dolet, ut ludos & torneamenta, quæ ante noluerat
„ intermittere rogatus, nunc cogatur non exequi etiam invitus.

„ Itaque post inutilem magnæ pecuniæ erogationem, post infa-
„ miæ notam, quidquid Episcopus præparaverat, quidquid institue-
„ rat, intermissum desiit: ipse verò posteà, doloribus aliquantulum
„ remissis, quamprimùm gressum potuit recuperare pedum, plenus
„ irarum Carthusiam accessit, & conquerens cœpta sua *Dionysii*
„ orationibus destituta, se verò doloribus propterea ac ignominiâ
„ affectum, verbis eumdem asperioribus mulctavit. Verùm æquani-

mi-

„ miter hæc *Dionysius* tolerat, gaudens etiam quòd pro Christi glo-
„ ria dignus esset, vel ab Episcopis, contumelias pati. Vtinam tales
„ hodie multi essent *Dionysii!* quoniam huic Episcopo nimiùm si-
„ miles inveniuntur Pontifices.

„ Atqui si miserabilem hujus postea defuncti sortem atten-
„ derent, nec Aulicorum adulationibus acquiescerent, ad meliora
„ fortasse quantocyus se commutarent: nam hunc, quem præfati
„ fuimus, Episcopum, postea defunctum (cùm pro eodem *Dio-*
„ *nysius* post Matutinas, in Festo D. Catharinæ Virginis, in cella
„ vigilans, oraret) vidit à duobus teterrimis giganteæ formæ Spiriti-
„ bus ante se adductum, ac ardentibus flammis circumseptum; Cui
„ dixerunt: Ecce, pro quo oras, Dominus tuus; intuens illum *Dio-*
„ *nysius* diligenter, vidit circà ventrem & genitalia ejus immensum
„ agmen Serpentum & Bufonum, qui miserum corrodebant (fue-
„ rat enim in vita, præter vanitates alias, Episcopo indignas, in con-
„ cupiscentiis Feminarum Virginumque Stuprator.) Expavit vehe-
„ menter Vir Sanctus, admirans æquitatem judiciorum Dei, & co-
„ gitans illud, quòd Potentes potenter tormenta patiantur. Adver-
„ tit illum esse damnatum, quippe cum nihil pro se miser flagitaret
„ suffragii, nihil orationis, & subitò nigerrimis illis Æthiopibus ab
„ oculis intuentis abriperetur. Hactenus Auctor vitæ *Dionysii Car-*
„ *thusiani.* Ingressus verò fuit Religionem (eodem Auctore) anno
„ ætatis circiter XX. & vixit in ea annis XLVII. ex quibus reliqua le-
„ ctor collige.

„ Alter est Fratrum *Divi Francisci*, quibus Curiam suam sive
„ Aulam pientissimus Gerardus III. in habitationem cessit. Hi au-
„ tem Religiosi, Conventuales ab initio fuerunt, reformati autem
„ per Fratres, *ab Observantia* dictos, anno ∞. IↃ. LXIX. sub *Pio V.*
„ Pontifice verè Pio, per R. Patrem Fr. *Angelum Aversanum*
„ Commissarium, quem vocant, Apostolicum. Spoliati verò ac fu-
„ gati iidem Fratres à milite Guilielmi Auriaci, XXIII. Quinctilis,
„ anni ∞. IↃ. LXXII. suprà memorati violatâ etiam, in odium Re-

E li-

ligionis, ipsâ Ecclesiâ, occisisque crudeliter nimis RR. PP. *Corgonio à Maldert*, & *Reinero à Lintris*: ac ab exilio reducti quadriennio pòst, Conventum & Templum restaurare cœperunt; Fratribus denique Coletanis sive Recollectis hoc Monasterium traditum est anno ∞. IↃCIX. à quibus hucusque summâ populi ædificatione incolitur.

Tertius est Fratrum Crucigerorum, sic dictorum, quòd Crucem in pectore gestent, partim albam, partim coccineam, pro coloribus nimirum Sponsi Canticorum, qui candidus & rubicundus; ac in memoriam fusi sanguinis & aquæ in Passione Domini. Hic Conventus originem suam adscribit duodecim honestis probisque Civibus, qui anno M. CCCC. IX. in honorem Iesu Christi & Divi Cornelii Papæ & Martyris, suarumque animarum salutem, Fraternitate hîc priùs institutâ, sacelloque eidem Sancto Cornelio, ex consilio & auxilio Magistratûs, erecto, divinum deinde cultum ampliare studentes, summoperè anhelabant ad vitam Religiosam, ac Monasterii, in quo unà habitarent, Deòque sic meliùs vacarent, constructionem; quorum piis desideriis dum annueret Ordo Sanctæ Crucis, conversum fuit idem Sacellum anno M. CCCC. XXII. in Cœnobium, quod ex plurium eleëmosynis mox crevit in eam amplitudinem ac formam, quâ hodie visitur: Habent Ecclesiam satis luculentam, in qua Sanctissimæ Trinitatis Sodalitium, pro Redemptione Captivorum, modò viget. Sacer hic Ordo Divum Quiriacum, aliis Cyriacum, Episcopum Hierosolymitanum, &, sub Iuliano Apostata, Martyrem, ad felicem illam Beatæ Helenæ, Constantini Magni piæ Matris, investigationem, Crucis Dominicæ Inventorem, pro Tutelari suo colit; estque renovatus per Innocentium III. in Concilio Lateranensi, & confirmatus per IV. in Lugdunensi, sub Regula S. Augustini. Nactus est Restauratorem ac Propagatorem Nobilissimum *Theodorum de Cellis*, qui ex Canonico principalis Ecclesiæ Leodiensis primus fuit Prior celeberrimi istius Monasterii propè Hujum, cujus Priores totius Ordinis sunt Magistri, quos Generales vocant: uti

uti & in Carthusia observatur, nec non Cistertii ac Præmonstrati, quorum locorum, post Divos Robertum Molismensem, & Norbertū Sanctensem Abbates, suorum quoque Ordinum sunt Primicerii seu Generales. Hujus verò *Theodori de Cellis*, successor trigesimus septimus est NICOLAVS HANNEFFIVS, Vir insignis, à pluribus jam annis huic Monasterio Hujensi, adeóque toti Ordini tantâ laude præest, quanto fructu prodest.

Quartus est Patrum Societatis IESV, qui ibidem celebre Gymnasium habent, in quo flos juventutis, quæ eò ex Batavicis, aliisque partibus, ob litterarū famam, ingenti numero confluere solet, in humanioribus excolitur studiis; in quo etiam aliquando magnâ laude docuerunt Summi Viri, *Otto Zylius* & *Ioannes Bollandus*, & reliqui omnes, Sancti Patriarchæ sui IGNATII, ab igne, quem Christus vênit mittere in terram, uti inflammati, itâ & rectè nominati, non degeneres Filii strenuè in vinea Domini laborare pergunt, salutaribus monitis, & veræ pietatis ac omnigenæ virtutis lucentibus exemplis, per totam circumquaque Regionem instruentes populum, qui pridem neglectum aliquem Religionis traxerat è vicino. Huic Collegio, inter alios præclaros Viros propè triennium, præfuit, ac in Rectoratu ibidem suo obiit, anno ∞. IↃC. XXX. R. P. *Arnoldus Cathius*, tanti zeli, tantæque sanctimoniæ, tā suavis genii ac ingenii, & tam profundæ ac variæ eruditionis Religiosus, ut solus ipse paginam mereatur; sed brevitati studens, bonum meum Lectorem invito ad Bibliothecam Scriptorum Societatis IESV, adornatam à R. P. *Philippo Alagambéo*, Bruxellensi, qui totam ejus vitam, quam faciliùs certè admiremur, quam imitemur, austerissimas corporis castigationes ac macerationes, ardentissima vota, crebra cum Christo Crucifixo ac Diva Virgine colloquia, Martyrii desideria, amorem in Deum, caritatem in Proximū, in tolerando patientiam, in Divinis scientiam, placidissimumq; excessum graphicè prorsus descripsit. Ratus fore, ut non sine pio aliquo sensu ac fructu eam legat, ac beatam ejus memoriam, lubens mecum recolat ac veneretur.

Se-

Septem autem ſunt, præter unum Begginagium, Cœnobia Virginum, quorum primum ſibi locum meritò vendicat nobilis illa ac opulenta quondam Abbatia Divæ Virginis, Ordinis Ciſtertienſis, vulgò *Munſter* nuncupata, & condita ante ipſam Civitatem, quæ & huic originem ac celebritatem ſuam præcipuè debet, in qua & viſitur Eccleſia Gothici operis, elaborata, ac Lydio ex lapide eleganter variegata, plurimis ſacris Reliquiis, præſertim Vrſulanis, dives, ac inter alias, articulo Digiti *D. Bernardi*, à quo tacti Annuli, & à febricitantibus geſtati, prompto ſæpiùs illis ſunt remedio.

Fundata eſt hæc Abbatia à Gerardo III. Gelriæ ac Zutphaniæ Illuſtri Comite, qui ut erat Religioni mirum in modum deditus, ſic & in eam, ejuſque Cultores munificentiſſimus fuit; adeoque & Carthuſianorum & Minoritarum Aſceteria, unà cum Fratre ſuo, Sancto Henrico, in eadem hac noſtra Ruræmonda, mox ædificavit: Domum inſuper, ſive potiùs Palatium, in campenſi Monaſterio, propè Rhenobercam conſtruxit, in quo totam quotannis, Religioſus Princeps, manſit Quadrageſimam, quò quietiùs divinis, à mundanis omnibus ſegregatus, intendere poſſet. Hujus autem optimi Comitis Statua in medio Templi hujus Monaſterienſis, versùs ſummum altare, cum illa conjugis ſuæ Margaritæ Brabanticæ, ſupina jacet, ſuper inſigni tumulo, ad aliquot pedes erecto; cui Epigraphe hæc inſcripta legitur:

Obiit anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo nono, ipſo die Beati Severi *Epiſcopi, Gerardus Comes Gelriæ & Zutphaniæ, qui cum Margareta, Vxore ſua, ad inſtantiam matris ſuæ Richardæ de Naſſovia, primæ hujus loci Abbatiſſæ, Monaſterium iſtud fundavit anno milleſimo ducenteſimo decimo octavo, ambo in hoc loco ſepulti.*

Hodierna autem Antiſtita eſt Perilluſtris Domina *Iacoba Franciſca de Hennin-Lietard*, Illuſtriſſimorum Comitum de Boſ-

ſu

ſu Filia, Soror, Amita, quæ Abbatiam hanc & opibus & moribus collapſam, ſolerti ſuo regimine, laudabili œconomiâ, ac vitâ verè exemplari, difficillimis etiam temporibus, reſtaurare conſtanter pergit.

Secundum eſt Monialium tertiæ Regulæ S. Franciſci, Epiſcopo, cum Religioſis, tertio, quarto & ſeptimo ordine ſequentibus, ſubditarum, quod nunc *Dei Inſula*, antiquo Vrbis nomine, appellatur; vernaculè *Godtsweerdt*. Erectum primò fuit extrà portam Pontanam, in Inſula Civitati proxima, vocatum tunc *Emaus in Inſula*, multis Virginibus nobilibus florens; ſed, obſeſsâ Sittardiâ, nimiùm vicinâ Ruræmondæ, Magiſtratus illas in hanc Vrbem vocavit, diruto earum Domicilio, tribus abhinc ſæculis, vel circiter, & alio ædificato in eo, quo impræſentiarum ſunt loco, cum templo, quod conſecratum fuit anno M. CCCC. XLIX. in quo officium divinum ritè peragunt, ac Muſicâ domeſticâ non parum exornant, poſſidentque etiam num antiquam ſuam Inſulam, quæ ipſis ex inſolatione non parum commodi præſtare ſolet.

Tertium eſt Canonicarum Regularium Divi Auguſtini, quod vocatur *Mariæ hortus*, Gelricè *Mariegardt*, à trecentis ferè annis dotatum, fundoſque ſuos habet in antiquo illo Comitatu Hornano, quem Moſa ab hac Vrbe diſcriminat.

Quartum eſt Sororum Cellitarum, Nigrarum nomine, quæ huc quando venerint, uti ignoratur, ità conſtat ex ſchedis autographis eas ante annum M. CCCC. XXV. in hoc oppido religioſè vixiſſe, & varia charitatis erga Infirmos ſpecimina ediſiſſe, quæ arctioris vitæ ſtudio, ſupplicàrunt Epiſcopo Leodienſi, cui tum ſuberant, ut ſecundùm Regulam Divi Auguſtini conventualiter vivere poſſent; quod & ipſe benignè illis cōceſſit, an. M. CCCC. LXII. unaque aſſignavit duos Viſitatores, nimirum Priores Crucigerorum, Eburonum & Ruræmondenſium, junctim vel partitò, & locum habitationis earundem mutavit in Domum Conventualem,

lem, ſeptennio pòſt, deditque tum illis facultatem eligendi ſibi aliquem Priorem vel alium Antiſtitem in Viſitatorem, quâ uſæ ſunt uſque ad tẽpora Reverendiſſimi *Cuyckii*; qui uti eas, non invitas, ſuæ poteſtati ſubjecit, ità deinceps, ſub aliorum Epiſcoporum regimine, ſedulam egrotantibus ac exſpirantibus operam præſtare pergunt, vocaturque Cœnobium ipſarum *Dei Pomarium*, Teutonicè *Godes-boomgaerdt*. Fert autem Traditio, quæ inter illas percrebuit, huic ſalutari Inſtituto initium dediſſe duas, Deo devotas Virgines, quæ obſequio ac ſolatio Infirmorum, ex mero pietatis zela ſe mancipantes, alias ſibi Adjutrices aſſumpſêre, rebuſque deinceps bene diſpoſitis, cum opinione ſanctitatis obiêre, miſericordiam, quia miſericordes, à Patre miſericordiarum procul dubio conſecutæ.

Quintum, Dominicanarum, à *Mariæ Doloribus* nuncupatarum, vulgò *Mari-VVee*, quod originem ſuam refert ad Recluſam quandam in loco, dicto *Molebren*, prope hoc oppidum ſito, quæ, anno M. CCC. LXXX. quaſdam adlêgit Socias, ſub habitu & tertia Regula ſancti Dominici, ex eleëmoſynis viventes, quæ ibidem manſêre ad annum uſque M. D. XXX. quo omnia paſſim inundatione, ſimul cum Monaſterio, periêre, vix ſalvis Religioſis, quæ confeſtim in Civitatem admiſſæ ſunt favore Illmi Geldriæ Ducis Caroli, qui & ipſis novum in ea excitaſſet Monaſterium, niſi mors nimiùm propera bonum hoc opus præpediviſſet. Vnde ipſæ ſibi locum appropriârunt, qui modò eſt Seminarium Epiſcopale, donec obtinerent Monaſteriolum, quod ad hunc uſque diem inhabitant, & cöemptione diverſarum domuum ac fundorum non parum auxêre, ac bono vitæ Sanctioris odore implevêre, præſertim ab anno M. DC. XLVI. quo Primam Divi Dominici cum Clauſtro Regulam acceperunt.

Sextum eſt Pauperum Clariſſarum, quæ Colonia eſt Bruxellenſium, è quibus decem numero huc miſſæ ſunt, anno M. DC. XIV. à Rmo Patre *Andrea à Soto*, Fratrum Minorum Commiſſario Gene-

ne-

nerali (qui Serenissimæ, ausim dicere & Sanctissimę Hispaniarum Infanti, *Isabellæ Claræ Eugeniæ*, Belgarum tum Principi, à sacris erat Confessionibus, & ipse Vir sanctæ ac austeræ prorsus vitæ, ut ex macerato ejus vultu & toto corpusculo, quod vix hærebat ossibus, satis superque apparebat) ad novam hîc fundationem inchoandam, comitantibus ipsas ac dirigentibus RR. PP. *Balduino de Cranendoncq*, Guardiano Bruxellensi, & *Georgio Charliers*, nec non honorabili ac opulento Viro, *Mathæo Dormalio*, Pauperum ibidem Clarissarum Syndico. Hæ decem Sorores summâ charitate ac humanitate exceptæ fuêre XIII. Iunii ejusdem anni, à modò dictis Sanctimonialibus Dominicanis, in quarum Monasterio manserunt ad Festum usque Præcursoris Domini, quo deductæ sunt in vicinam Fratrum Minorum Recollectorum Ecclesiam, in qua R^mus^ Episcopus, *Iacobus à Castro*, Sacrum solemne decantavit, quo finito, cœlesti eas pabulo refecit, ac prędicavit. Quibus peractis, dicti Fratres Recollecti, comitante eodem Episcopo, Senatu Regio ac Magistratu, & universo Clero ac Populo, cum dictis Sororibus, processerunt ad Ædes, quas conduxerant; quibus eas cum Dei benedictione & suâ, omniumque præsentium magnâ ædificatione inclusit, cœperuntque statim, pro more Ordinis, divinum celebrare officium, accepto in Confessarium R^do^ P. *Nicolao Merano*, & postulato in Syndicum Domino *Ægidio de Elshaut*, Cameræ Rationum Regiarum Præfecto; qui hoc munus affectu magno suscepit, & anno M. DC. XVII. emit ipsis fundum, in quo illarum mox Cœnobium & Templum constructa sunt; cujus pretium procuravit Soror *Francisca de Ram*, Mater Abbatissa Clarissarum Pauperum Bruxellensium. Ad hunc locum anno M. DC. XXIII. ipso Inventionis Sanctæ Crucis Festo, Processione solemni migrârunt hæ Sorores, consecrante mox, pridie omnium Sanctorum, novum Ambitum eodem Rev^mo^ Antistite. Primus autem Monasterii lapis sacratus fuit S. Iosepho, estque positus anno M. DC. XVII. ab Ordinibus Gelriæ, & anno proximè sequenti lapidem Ecclesiæ primum jecit Comes Fridericus à Monte, Ducatûs Gelrię tum temporis pro Rege Gubernator,

quæ

quæ anno M. DC. XXIII. à sæpe-dicto Episcopo consecrata est; qui & eandem tum ornavit ac ditavit insigni imagine Sancti Clementis Martyris, cum notabili parte Reliquiarum ejus, quibus & præmiserat aliquas Divæ Catharinæ, dum hujus festo die, anno M. DC. XXI. hæ novæ Religiosæ cereos ardentes, vice lampadum, manibus gestantes, cum Venerabili Sacramento ad Claustrum novi Conventûs debito ordine ducerentur. Altare autem Summum ab eodem dedicatum fuit Vndecim Millibus Virginum, quarum & Reliquiæ eidem impositæ sunt ac consepultæ, anno M. DC. XXXV. Quæ autem de sanctimonia quarumdam Sororum, in hoc Conventu defunctarum, litteris tradita erant, unus ignis cum toto ædificio cunctoque utensili, in Communi civitatis conflagratione, anno proximè elapso, consumpsit.

Septimum & novissimum est Vrsulinarum, quæ pulcherrimâ suâ instruendæ Iuventutis methodo, in omni virtutum ac honestarum discipilinarum genere, multùm utiles sunt Reipublicæ, Gynæceumque alunt; in quo plurimæ Magnatum, Principum etiam filiæ educantur ac excoluntur: harum numerum non ità pridem summopere illustrârunt formosæ illæ Serenissimi Palatini, *Christiani Augusti* Principis Sultzbacensis, Gnatæ; quarum altera, *Maria Augusta*, Ser^mo^ Archiduci Sigismundo nuperrimè nupta, tam citò, eheu! imò priùs, vidua fuit, quàm uxor. Quæ Principes Puellæ annum & ampliùs apud hasce Religiosas moratæ, tam benè institutæ in Patriam redierunt, ut Ser^mi^ Parentes summas hinc iisdem Vrsulinis gratias egerint.

Vt autem nostra hęc Rurę̨monda tot Religiosis cœtibus sacrata, sic & pluribus Viris Eruditis ac Scriptis etiam Claris exornata est, quos inter Celebriores sunt.

Ælius Everardus Vorstius, Professione Medicus, qui à peregrinatione annorum XIV. ex quibus triennium vixit apud Nicolaum Granam, Episcopum Anglonensem in Magna Græcia, in

Bel-

Belgium reversus, Commentariolum scripsit de Annulorum origine; meditabaturque notas ad *Cornelium Celsum* de Re Medica, sed quas moriens anno ∞. I ↄc. xxIV. perficere non potuit.

Franciscus Fabricius, itidem Medicus, Græcarum litterarum peritus, scripsit de Balneorum, quæ sunt Aquisgrani & Porceti natura & facultatibus.

Gerardus Ioannes Vossius, vir omniscius, ut doctissima, quæ reliquit, monumenta testantur, qualia sunt, inter alia plurima, Institutionum Oratoriarum libri sex. De Rhetoricæ natura & constitutione, deque antiquis Rhetoribus, Sophistis & Oratoribus. Rhetorices contractæ libri v. De Arte Grammatica libri VIII. De Arte Historica commentatio. De historicis Græcis libri IV. Item de Latinis. Genealogia Christi, aliaque.

Iacobus Dyck, Societatis IESV, qui vertit ex Italico Flandricè exercitia interna virtutum Blasii de Palma.

Auctarium *Caroli Musaert*, ad eundem librum, continens exercitium virtutum externum.

Detectionem Magni Catharii seu Regnorum Tibet, ex litteris P. Antonii Andradæ. Mensam Regalem Christi Domini, seu exercitia spiritualia ad dignè communicandum.

Ex Hispanico autem vertit latinè praxim & declarationem Exercitiorum spiritualium S. Ignatii, authore Ludovico de Palma, Societatis IESV.

Ioannes Corverus, qui Philonis Iudæi libellum, de Nobilitate, latino carmine reddidit, & Lamentationes Ieremiæ Versibus elegiacis.

Ioannes Murmellius, qui solutâ vinctaque oratione plurima scripsit: inter alia verò Tabulas Grammatices. De Arte versificatoria cum Eobani Hessi explicatione. Protrepticon Poëtantium. Di-

dascolicôn libros II. Enchiridion Scholasticorum. Pappam Puerorum, libellum institutioni puerili perutilem. Nucleum. Scoparium. Isagogen in Prædicamenta Aristotelis. De Compositione verborum. Ecphrasin in A. Persii satyras. Flores Catulli, Tibulli, Propertii, Ovidii. Commentarios in Boëthium de consolatione Philosophiæ: Commentaria in Prudentium & Politiani Rusticum. In Epistolas B. Hieronymi ad Niciam & Nepotianum. Elegiarum Moralium libros IV. Eclogas XVI. Epigrammatum lib. I. Florea serta D. Virginis, vario metri genere. De hymnis Ecclesiasticis lib. I. Descriptionem Vrbis Monasteriensis versu Sapphico. Scholia in Cypriani Carmen, de ligno Salutiferæ Crucis, & alia.

Petrus Gilkenius, Godefridi, Gelriæ Cancellarii, frater, qui varia in jure edidit, præcipuè verò ad Codicem.

Renerus Budelius, qui scripsit tractatum de Moneta & Re Numaria.

Theodorus Graminæus, Mathematum Professor, scripsit enarrationem uberem in Io. de Sacrobosco. Orationem in Esaiam & Prophetiam sex dierum Geneseos. De Cometis annorum ∞. Ɔ. LXXVII. & LXXX. Exhortationem de exequenda Calendarii Romani Correctione. Mysticum Aquilonem, & Prodromum Antichristi.

HÆc proba, pia, docta Civitas, quam pro modulo meo, & ex vero descripsi, dum post tot bella, clades, motus ac metus, exoptatâ jam paucis ab annis Pace gavisa fuisset, & tranquillâ tandem malaciâ, post tot immanes fluctus ac horrendas tempestates, quibus integro penè sæculo cum reliquo Belgio quassata fuerat, dum jam à terra vel ab aquis nulla imminerent pericula, ab aëre & igne miserabile prorsus infortunium sustinuit, ex quo tota ferè conflagravit, ipso, quo Populus hic in omnem solet lætitiam effundi. Die Encœniali, quo gestiunt Amici ac Vicini co-

comiter conventare, ac more se patrio suaviter exhilarare; quo & suevêre Civium Incolarumque Villici undique confluere, Heris suis Xenia afferentes, nec nisi saturi mox domum revertentes. Hoc, inquam, die, qui, Sanctissimæ Triadi sacer est, dum jam sol in suo cursu medium iter haberet, ac viæ medium supplicatio solemnis, ecce tectum exilis domunculæ ignem ex ænei tubi explosione concipit, qui, subitò Turbine exorto, in flammam continuò ingentem erumpens vicos quoslibet repente invadit, ac quinque vixdum horarum spatio, suprà quinas Vrbis partes lamentabili prorsus modo absumpsit, accurrentibus nequidquam Civibus, Militibus, Religiosis, ac exstinguere satagentibus tantum ignem, cui nec totus Mosa, nec integer Rura sufficere videbantur. Adeo ut ex tot Monasteriis, Templis, Sacellis, aliisque, tum sacris, tum profanis ædificiis una superfit Cathedralis cum nonnullis circà eam, & majus forum, domibus, inter quas est ipsa Curia municipalis, quam facto agmine, ac disruptis vi proximis ædibus, antequam eò flamma vorax pertingeret, soliciti Codicum ac Regestorum publicorum Cives, summo labore servaverunt; & illa, quam pluribus possedi annis, in cujus lapide angulari collocaram insignem ac proceram D. Virginis statuam, ex vivo lapide sculptam, sub *Mariæ Pacis* nomine, quæ Domus ab annis jam septemdecim, Ill^{mo} *Fabio Chisio*, tum Nuncio Apostolico, ac Pacis Arbitro (nunc *Alexandro VII.* Papæ Sanctissimo) Monasterio Westphaliæ Aquisgranum petenti, in hospitium parata erat, vel hinc forsitan sub Virginis signo servata. Salva item eaque sola remansêre Cœnobia Franciscanorum, Crucigerorum, Dominicanarum, non sine damno tamen, Mariæ Hortus, ac Dei Pomarium, cum vetusta aliqua, vasta ac celebri domo, seorsim sita, & alto à mœnibus distincta muro, quam olim & hodie inhabitant Viri Nobiles, qui Præfecti, sive potiùs Advocati Vrbis appellantur, ac hæreditarii sunt, & jurisdictione etiam, quam fundiariam vocant, in propinquo aliquo Civitatis tractu, in quo & Ecclesia Parœca Sancti Christophori, quæ modò Cathedralis, structa est, cujus & Patroni sunt, pollent, qui & eo præfulgent honore, ut in quibuscumque actibus publicis

ac

ac privatis, Prætorem, Consulem, sicque & totum Magistratum præcedant. Hæc dignitas à pluribus jam annis est penes *Cortenbachios*, ex Matrimonio cum Lucia *Flodorfia*, hujus Advocatiæ hærede, contracto. Nec nisi præterea centum domus sunt reliquæ, sed vix memoratu dignæ, dum insigniores in favillas abiêre, inter quas unâ eâdemque in plateâ tres Aulæ Primariæ sunt combustæ, nimirum illa Illustrissimi Episcopi; illa Excellentissimi Præsidis Provinciæ, & illa supremi ibidem Concilii Regii, quæ & *Cancellaria* vulgari vocabulo nuncupatur: spectabilis insuper illa Rationum Camera, quæ non exiguis nuper sumptibus tàm commodè, quàm bellè in Computus Regios aptata fuerat. Sic in multum tremorem & mœrorem abiit dies, qui aliàs lætissimus, illucescere solebat; & cujus tristissima imago ac luctuosissima prorsus memoria nunquam non luridum horrorem Posteris faciet: horrorem, inquam, verè luridum, quia infernalem, ac ab ipso Cacodæmone factum. Quid ita? legitimè constat, Viro alicui primam flammulam compescere adnitenti, pelliculas quasi piscis porrectas à rugosa quadam Anu, asserente illis eam subitò sopiendam, audit & obedit fervidus Civis, acceptas squamas bonâ fide mittit in ignem, qui ecce ipso instanti tantùm invaluit & exarduit, ut, vento ingenti crebrescente, ac aëre candescente, fulminis instar, in quamcumque urbis partem evolarit, ululatibus undique terribilibus auditis, quos non nisi Satanam edidisse, ignemque hunc tartareum fuisse facilè credet, qui cum primò Cruces, turribus ædibusque sacris impositas, undique petere, iisque exustis ac dejectis, deorsum, & sic contrà elementi naturam repere, & templa invadere conspexerit. Planè ex teste, fide digno, habetur, eodem ipso tempore, quo Ruræmonda conflagrabat, Energumeno quodam, Tremonii in Westphalia, exorcizato, stygium ejus hospitem, dum jam ad exitum premeretur, respondisse hæc ipsa, quæ à pluribus excepta ac transscripta fuere verba: *Ardet Civitas in Geldria*, *eò me conferam, satis superque operis ibi habiturus*. Quis jam, quæso, negabit ululatus hos ex inferis manasse, & stragem illam totam tum pessimæ sagæ veneficio, tum Diabolicâ rabie patratam? Vnus Ieremias flevit & planxit

su-

ſuper Ieroſolyma deſerta: plures profectò (tam Sanctæ Tantæque Vrbis comparationi ſit venia) non quidem Prophetæ, ſed Incolæ plorantes plorant, amaro animo ſuſpirantes & ejulantes ſuper Ruræmonda incenſa, quæ jam non niſi buſtum, & miſerrimæ vaſtitatis eſt exemplum, quam benigno proinde intuitus eſt oculo S^mus^ Dominus Noſter, *& quaſi de cælo proſpexit ſuper eam*; dum mœſtiſſimo Antiſtiti, in eoque afflictiſſimis Civibus Breve ſcripſit Apoſtolicum, ingentis ſolatii ac cœleſtis gratiæ uberrimum, unàque miſit munificum auri ſubſidium, ſic *dans eſcam in tempore opportuno*. Sed ipſum Breve repræſento, cujus lectionem novæ conſolationi ac ſummæ ædificationi fore exiſtimo, uti & binas litteras Ruræmondenſis Epiſcopi, utriuſque fortunæ flabelli, qui poſt tot dolores, ac labores, tam conſtanter exantlatos, tot mala ac adverſa, tam fortiter ſuperata, voti jam Pontificii, ſive potiùs oraculi, in eodem Brevi pronunciati, effectum feliciter conſecutus eſt, Bonorum omnium applauſu, uno Ipſi ore acclamantium Scitum iſtud Davidicum: *ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum*. Sed modò dictum Breve conſidera; & Paternam Pontificis, verè Optimi, miſerationem ſuſpicies, cui præmitto alteram memorati Antiſtitis Epiſtolam, quæ tanto Tanti reſponſo digna fuit, ac alteram quoque ejuſdem Euchariſticam ſubjungo.

BEATISSIME PATER,

Sanctitati Veſtræ, poſt humillima SS^tum^ Pedum Suorum oſcula, juxta Officii mei debitum, exponendum duxi, quomodo integra Civitas Ruramondenſis (cujus indignum de V. S. providentia ago Epiſcopum) ultimâ menſis Maii elapſi, exiſtente Dominicâ Sanctiſſimæ Trinitatis, Cathedrali Eccleſiâ, pauciſſimiſque exceptis ædibus, igne fortuito in cineres redacta ſit, inter quæ tàm Aula Epiſcopalis, quàm omnia ejuſdem Archivia, Beneficiorum documenta, Actorum, Inſtitutionum, Decretorum, Viſitationum, Ordinatorum Regiſtra, cum tota mea ſuppellectile concremata ſunt; ità ut tectum, quò de nocte recurram, non habeam: ſupplex quapropter S^tem^ Veſtram rogarem, ſi fortè dignaretur, miſericordiâ mota, per Nuntium Apo-

stolicum Madritensem, & Legatum Catholicæ Ma^{tis} in Urbe residentem, Hispaniarum Regem disponere ad prædictæ Aulæ Episcopalis reædificationem, cùm ego potissimùm ad id faciendum impotens planè reperiar, uti latiùs ab Ill^{mo} & Rev^{mo} Domino, Hieronymo de Vecchiis, *Abbate Montis Regalis, ultimo Belgii nostri Internuntio, harum Latore, intelligere erit. Quam mihi præstandam gratiam continuis meis apud Deum precibus promereri conabor, illum rogaturus, ut S. V. diu sibi & Ecclesiæ suæ servet incolumem. Maneo usque ad ultimum vitæ meæ halitum, Beatissime Pater, Sanctitatis Vestræ, &c.*
Ruræmondæ 6. die mensis Iunii, 1665.

ALEXANDER, PAPA VII.

VEnerabilis Frater, salutem & Apostolicam Benedictionem. Ruræmondensis Civitatis lugubre, ac penè exitiale incendiũ ex literis Fraternitatis tuæ, non sine Paterni cordis gravi sensu, profectò cognovimus. Porrò dolorem ob adeò tristem & omni commiseratione dignum casum, auget etiam non parum in animo nostro, cùm ingens mœror, tùm etiam damnum, & calamitas præcipuè tua; cui ob insignem spectatæ Pietatis, zelique præstantiam, prospera cuncta & felicia sanè cupiissemus. Cæterùm officia, quæ postulas in Hispania, præaccuratè interponentur, interim istic ex dilecto Filio, Internuntio nostro, nonnullum amoris in te Pontificii pignus accipies. In reliquo non dubitamus, quin ergà miseròs Cives, tàm superstites, quàm etiam defunctos, omnia, quæ res hujusmodi postulat, Pastoralis caritatis & Vigilis curæ munia, pro viribus impleveris, aut impleturus etiam sis; quod etsi spontè facturus fuisses, tamen ut abundantiùs, & diligentiùs adhuc efficias, & cuncta tàm spiritualia, quàm temporalia levamenta, quæ maximè poterunt, singulis, pro eorum necessitatibus, exhibere studeas, etiam atque etiam te hortamur, seduloque monemus. Postremò misericordiarum Patrem Deum enixè precamur, ut quà populis afflictis istis, quà Fraternitati tuæ cladem tantam amplâ consolationum suarum vice sarctam, & repensam esse benignè velit; In quem finem Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, ac Diœcesanis tuis peramanter impertimur. Datum Romæ, apud

san-

ſanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 18. *Iulii,* 1665. *Pontificatûs noſtri anno undecimo.*

SANCTISSIME PATER,

STella illa paterni in omnes animi, quâ S. V. radios ſuæ Benignitatis in filios ſuos latè diffundit, montes Italiæ tranſcendens, apparuit non ita pridem Regioni Belgicæ, meque ac Populum, mihi commiſſum, clementiâ ſuæ lucis exhilaravit, diſſipavitque mœroris tenebras, quas miſeris effuderat nuperum incendium, dum illius damna per me reparat Stas V. multorumque indigentiæ proinde ſuccurrit, imitata in eo glorioſum Chriſti Martyrem, cujus hodiè feſtum recolimus, qui Theſauros Eccleſiæ in pauperum ſinus profuderat; uberrimos verò referet opportuna liberalitas Sanctitatis Veſtræ, debitam in primis beneficio gratitudinem, quâ ego, Clerus ac Populus Univerſus Ruræmondenſis Deum Omnipotentem ſupplices rogamus, ut Eccleſiæ ſuæ incolumem diu ſervet S. V. cujus ſacris Pedibus advolutus, eoſdem ſubmiſſâ veneratione deoſculor. Ruræmondæ, X. Auguſti, M. DC. LXV.

An quid addam verò? pauca certè; ut quod dirum demonſtravi incendium, illud & mirum quoque prorſus fuiſſe commonſtrem, & miros etiam, ſibique contrarios produxiſſe effectus. Bene valentes in morbum, imò & mortem egit: ægrotos contrà & lecto affixos, ambulare fecit, quid dico ambulare? planè, quaſi timor addidiſſet alas, & ipſo grabato evolare; alios ſanæ mentis homines, amentes reddidit, furioſos alios menti reſtituit: feroces, indomitoſque, manſuetos totos effecit, pios etiam ac Deum Divoſque lacrymis ac ſuſpiriis inclamantes, quibus aliàs fortè cœlum ac Superi vix in ore, minùs in corde erant. Prolixus fiam, ſi cuncta proſequar. Manum igitur de tabula: & ſic te, benevolum Lectorem, invito ad Parnaſſum, in quo ſuaviter pangentes vel potiùs plangentes audies duos inſignes Apollinis Myſtas, quos præ reliquis excitavi, in eodem monte ſomniantes; ſed qui pro modeſtia ſua latêre voluerunt. Quendam item ex-famulum meum, nunc Paſtorem, qui ſponte leſſum ſuum obtulit.

ILLUSTRISSIMO PRÆSULI,
D. HIERONYMO DE VECCHIIS,

VTI NOMINE, ITA GENERE VETERI
MONTIS REGALIS PRÆCLARISSIMO ABBATI,
MONTIS PEGASEI EXIMIO CULTORI,
Adeoque Musarum, Bonarum Mentium ac Literarum
VERO AMATORI, PATRONO, FAVTORI,
SUMMO A SECRETIS CRYPTOGRAPHICIS PONTIFICI,

GVIL. BLITTERSWYCKIVS,
In Magno Concilio Senator Regius, S. P. D.

I*Nter Eminentissimos, eosque Spectatissimos Principes, hinc* Flavium Chisium, *illinc* Julium Rospigliosium *(quantos Ecclesiæ Cardines!) constitutus, Te compello, Vir Illustrissime, utrique Charissime, mihique à multis annis Colendissime, ut uni Prosam meam, cum suavi aliqua demississimi cultûs mei ac facundissimæ Suadæ Tuæ formula oblatam velis : Alteri, simili quoque devotissimi obsequii mei tesserâ, Musam, quam eò magis commendo, quia alienam, & quam, scio, lætus excipies, pro affectu, quo ejusmodi elegantias complecti soles, non modò Poësios amans, sed & Artem ipsam probè callens, eamque etiam pro rei ac loci opportunitate exercens, uti mihi certè jam sæpius constitit ex amœnissimis illis, ingeniosissimisque tuis Versibus, quos inter Selectiores schedis meis servo, ac Amicis, sed horum lepôrum curiosis, recitare quandoque soleo : Nec enim omnium hic genius est, nec omnibus etiam tam fausta Phœbi lux affulsit, aut concessum est suavissimum hoc cum novem sororibus commercium. Vnde expostulare mihi liceat ac queri cum magno illo quondam Gentili Tuo,* Ænea Sylvio, *qui postea Pontifex* Pius, *secundus nomine, nemini forsitan eruditione, qui & Poëtam se dicere non modò non est dedignatus, sed & singulari sibi honori duxit, imò & hanc pulchram Artem, eamque Profitentes tantopere æstimavit, ut Epistolâ* C I V. *aurea hæc ac adamantino exprimenda stylo effuderit verba in Poëto-Mastygum improperium ac vatum gloriam. Ea ecce in medium produco : hæc quisquis es mordax Zoïle, observa & frende :* Paucos Poëtas non miror, quia non datur passim cuilibet divina Poësis, sed eos despici atque contemni nedum miror, sed indignor, stimulor, turbor, ætatique nostræ condoleo, quæ tam splendidum jubar, tantumque humanæ ac divinæ scientiæ decus nihil faciat. *Iulius Cæsar*, Romani Fundator Imperii, & *Augustus*, Successor ejus, ad magnam sibi laudem reputarunt, in Collegium recipi Poëtarum, &c. *& nonne ejusdem Genii, sensûs ac ingenii fuêre, ac elegantissimis suis Poëmatiis comprobavêre illuminatissimi illi* Mafæus Barberinus *&* Fabius Chisius, *deinde etiam Pontifices Optimi Maximi, ille* Urbanus VIII. *hic* Alexander VII. *quanta, Deus immortalis! Ecclesiæ lumina! nihil profectò est, quod his addi possit, nullum cacumen quò altius scandi. Ad Te igitur redeo, Præsul Cultissime, qui mihi hoc opus meditanti calcar addidisti; uti quondã illi, quo pretiosum illum Tapetem à Sanctissimo Domino Nostro, è septimontio ad montem Asperum, à septem circiter annis, missum, ac Thaumaturgæ ibidem Virgini per manus Tuas solemniter prorsus donatum, cujus & ego celeberrimæ festivitatis cum pluribus Sanctitatis Suæ Amantibus testis ac spectator sui, celebravimus, Variis Parnassi Somniatoribus ad decantandum insigne hoc munus Pontificium excitatis, qui nominari non recusarunt, uti bini hi priores, quos nec nominabo, ut fidus sim. Sic vale Illme Dne, & me amare perge.*

Mechliniæ, ipso Divi Tutelaris Tui, 1666.

DUORUM POETARUM AMICORUM,
EX VOTO SUO ANONYMORUM,
SUPER
INCENDIO RVRÆMONDENSI;
POEMATA;
QVORVM ALTER OCTODECIM ELEGIIS,
IISQVE ELEGANTISSIMIS:
ALTER QUINQUAGINTA DISTICHIS,
RARO PRORSUS EXEMPLO,
ANNUM RESTAURATÆ AULÆ EPISCOPALIS,
AC IPSIVS CIVITATIS,
EXACTISSIME ADNVMERANTIBVS,
IN
SANCTISSIMI PONTIFICIS HONOREM,
Ac Illuſtriſſimi Antiſtitis amorem,
TAM PRONA VENA, QUAM CAMOENA,
CONCINUERE;
QUIBUS ACCESSIT,
Vt Charitum impleat numerum,
SIMON DAMERIVS,
PASTOR WELLENSIS,
QUI
HANC CHARÆ PATRIÆ SVÆ
MISERANDAM STRAGEM
CARMINE HEROICO PLORAVIT.

EMINENTISSIMO

S. R. ECCLESIÆ PRINCIPI,

JVLIO ROSPIGLIOSIO,

TITVLO SANCTI SIXTI,

PRESBYTERO CARDINALI,

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

A Secretis intimis,

AC STATUS SACRATISSIMI CONSILIIS.

COdicis Titulum, *ne Filius pro Patre, vel Pater pro Filio conveniatur*, inverto ecce, & me Eminentiæ Tuæ judicio sisto, conveniendus non tantùm pro filio, sed pro filiis, *Carolo Constantino, & Iusto Adeodato*, quos non modò immensis, in Vrbe, honoribus ac exquisitis cupediis, aliisque muneribus pro summa sua in eos benevolentia, humanitate, ac liberalitate cumulatos voluit, sed & absentes ingentibus favoribus, quasi bonis in terra, ut ut infesta, avibus, faustis in mari, tempestuoso etiam, favoniis, prosecuta est. Conveniendus iterùm pro parvulo meo, *Alexandro Septimio*, ALEXANDRI VII. Pontificis, certè Optimi, certè Maximi, filiolo spirituali, cujus dum nuper effigiem cum Genii ipsius Pueruli Tutelaris Epistola, versu elegiaco, à gravi quodam Societatis IESV Patre suavissimè scripta, Beatitudini suæ exhibere dignata esset, hocce suo statim me ornavit & recreavit amabilissimo responso, scripto Romæ, XII. Iunii, ultimò elapsi: *Cum literis Dominationis Tuæ humillimè obtuli Sanctissimo Domino Nostro ingeniosissimas lucubrationes, tum etiam Domini* Alexandri Septimii *effigiem, quas*

Sanctitas sua solitâ benignitate excepit : sibique persuadeat, me cùm nova opportunitas aderit alias tuas Epistolas Sanctitati suæ exhibendi, simulque humillima mea iterandi Officia, utrumque promptissimè præstiturum. Eundem affectum in cæteris etiam occasionibus, ubicumque res tulerit, D. Tuæ perlibenter testabor, &c.

Sed quid privatis hisce immoror, dum tot publica clamant beneficia, ac optima quæque in bonum Ecclesiæ obsequia? nec enim Tibi natus videris, sed Reipublicæ Christianæ, non Tibi, non Tuis studes, sed aliis, dum Bonis omnibus, qui soli Tui sunt, tam Officiosus es, gratus, ac benignus: dum virtutes adfers, quas cuncti suspiciunt: dum quæcumque munia, sive Summis Pontificibus in Sacra Congregatione Ecclesiasticorum Rituum à Secretis: sive ab epistolis seu Brevibus ad Principes, sive Almæ Vrbis Gubernator, unanimi etiam omnium Purpuratorum Patrum suffragio, quod sine exemplo, & communi totius Populi acclamatione, quod & rarum, jam fatis functo *Innocentio X.* constitutus, ita implevisti, ut ab *Alexandro VII.* & Purpurâ condecorari inter Primos merueris; & ad Penetralia Sacratiora admitti: in quo munere ita Te occupas, tam prudentem ac solertem Te exhibes, tam indefessum Te præbes, ut nihil in Te desiderari patiaris, quod à Tali ac Tanto Sanctæ Sedis Ministro expectari queat: sic certè laboras, sic publico vacas, sic pro Sponsa Christi, sub Sanctissimo ejus Vicario, sudas: sic etiam agis omnia, sic Te geris in omnibus, & erga omnes, ut vel ipsi iniquissimi Curiæ Romanæ Censores, acerbissimique obtrectatores, ad Te, quod nec mirum, obmutescant: obtunduntur hîc enim acutiores male-volorum linguæ, ne dicam Sagittæ, dum quod petant, id est carpant, non inveniunt; silentio saltem, si non & elogio devenerantes Virum tam inculpatum, tam cunctis probatum, laudatum, amatum. Quid ita? certè in Iberia, ubi annos aliquot Nuncium Apostolicum egisti, tam bonum Illustrissimi Tui Nominis odorem reliquisti, tantamque Integritatis, Iustitiæ, ac Sinceritatis famam, ut *Vir Probus* pro *Altero* ibidem efferatur ac de-

præ-

prædicetur *Rospigliosio.* Ampliùs me Hercle id est, quàm Celsissimo prodiisse ex Stemmate, & magnificos, splendidissimosque recensere longo ordine Proavos, quibus Heroïca Tua coruscat Familia, Pistoriensium Decus ac Gloria. Ne verò, quod Reliquarum Virtutum Tuarum fulgentissimum est jubar, prætercam, alienis utar verbis, & sic eloquar, quod summum in Te est & verè obstupescendum; alienis, inquam, quæ & multò tersiora sunt meis ac coram Primoribus Vrbis ac Orbis pronunciata à Præstantissimo ac plus-quam Reverendo admodum Patre *Ioanne Paulo Oliva*, disertissimo non unius Pontificis Ecclesiaste, nunc Magnæ Societatis IESV Præposito Generali, qui Concione XX. die Veneris, in hebdomade Passionis, habitâ, ad Pontificem *Innocentium*, Purpuratosque Patres, in qua, postquam admirabilem illam fortissimi illius Scipionis, Africæ Domitoris, erga Lucel, Celtiberorum Principis, Sponsam, unam ex captivis longè ante alias specie ac pulchritudine insignem, quam Pater & Sponsus plenis thesauris redempturi advolarant, in florida ac fervida etiam juventute continentiam, ac magnanimam prorsus indolem, quâ non modò eam integram illis restituit, sed & vim auri multam, gemmarum copiam, pretiosam vestem quàm plurimam, quas ambo in lytrum tam Nobilis, tam formosæ in tota Hispania Virginis cumularant, in accessionem dotis, tam generosè, quàm prodigiosè attribuit adolescens hic Imperator, qui vel sic non tam Aphricæ Domitoris, quàm sui victoris illustri titulo gloriosus, summopere, uti tam excelsum abstinentiæ argumentum merebatur, extulisset, honorificentissima subdit encomia, quæ Te, Rutilantissimum Sidus, sed quasi sub nube latens, respiciunt, & quæ ecce promo, ut Te prodam, dicto sit affectuique meo venia: *Sanguinem pro lacrymis oculis funderem, cogitans Scipionem ab sua utilitate tantopere alienum, nisi certò scirem, in eadem Provincia, ætate nostrâ, Virum Magnum Ecclesiasticum, Apostolicâ fortitudine, admirabili repulsâ amovisse sollicitantem, quamquàm is Regiâ magnanimitate offerret opulenta Sa-*

cer-

cerdotia, designaret infulas, attribueret reditus luculentos, polliceretur Gubernationes illustres, & spem etiam Purpura faceret: attamen in eadem ipsa Regione spectatus est qui Româ venerat, repudiare atque abiicere illa omnia Gloria & Amplitudinis incrementa, qua in Ministri Praclarissimi gratiam Dominus dimidiati propemodum nostri hujus orbis & novi mundi Regnator, potest vel effundere ex ærario suo, vel conficere ex Ditione amplissima, vel authoritate & precibus impetrare ab eo, qui, Vicarius Christi, inexhaustos habet largiendi fontes. Quàm plura abdicavit à se Pralatus, quàm Scipio, dum recusavit, quod dare poterat Pontifex Summus, rogatus à Potentissimo Rege, aut quod Rex ipse donare cuperet, tam flagrante desiderio bene-faciendi, ut tot Regnorum & Diadematum potens, vellet etiam ipsi Coronam Apostolicam efflagitare ultimis precibus.

Pro hisce aliisque assiduis in Ecclesiam studiis ac meritis benedicet Tibi cœlum: Ego verò, ut unde orsus sum, finiam, quid tandem repositurus tot tantisque in me meosque collatis beneficiis? illis certè, ut imparem me agnoscam, ingratus esse nolim. Ne sim verò, Novem in subsidium Sorores ac tres Apollinis Mystas adscisco, qui defectus meos suppleant, ac Eminentiæ Tuæ laudes pro me canant, sed quas interim non nisi summo, quod dici solet, digito in una operis pagina quinquagesima attigère; aliàs fortè, si vitam, si vires Deus dederit, ac votis meis annuerit, luculentiori aliquo Panegyrico à me celebrandas, qui *triplici* trium filiorum *funiculo* ligatus me sic obstrictissimum agnosco, & toto, quo par est cultu, studio & affectu me profiteor

EMINENTISSIME PRINCEPS,

Heroïcarum Virtutum Tuarum ac incomparabilium Animi Dotium humillimum, devotissimum, observatissimumque famulum,

GVILIELMVM DE BLITTERSWYCK,
Libellorum Supplicum Domûs Regiæ Magistrum,
ac in Magno Suæ Majestatis Concilio Senatorem.

ELEGIA PRIMA.

Ruramunda nondum exusta.

VRbs est Menapios inter, mediosque Eburones:
Quà Mosa Ruranis flumina miscet aquis.
Bis geminis remanet quà Geldria fida (*a*) Philippis,
Auriaci spreto docta (*b*) redire jugo.
Eminet hæc reliquis circum quas respicit urbes,
Si populi spectes, ingeniumque loci.
Si mores: quondam notus feritate Sicamber:
Iam colit unanimem cum pietate fidem.
Viribus haud ulli suppar, animoque virili:
(*c*) Fallere, nec falli pectora suēta gerit.
Dignus erat sacro quem ornaret (*d*) Præsule Roma:
(*e*) Præside Rex, gemini cura caputque gregis.
Hìc sedem posuit Proavis illustris, & armis
(*f*) Heros Villanæ gloria clara domûs.
Iusserat hic magnâ consurgere mole Penates:
Eximii quantos Principis esse decet.
Hunc olim *positis major* (g) *Christina coronis*
Non dedignata est hospes adire locum.
Si tamen hospes erat, Patriâ quæ sponte relictâ,
Quamlibet ex merito fecerat esse suam.
Scilicet hanc Christo genitam sibi Roma poposcit,
Qui caperet locus haud aptior Vrbe fuit.
Rudera Isengeniâ, modò quæ spectantur ab æde,
Olim Reginæ tecta fuisse, sat est.
Postquam nec major poterat, neque dignior hospes
Mamineos umquam condecorare lares.
Clara domus, sis urbe minor, sis Principe Româ:
Christina hìc dices, hìc priùs hospes erat.

(a) *Quatuor Hispaniarum Regibus.*
(b) *Anno* 1637. *Duce & auspice Ferdinando Cardinali Infante, Philippi IV. Hispaniarum Regis Fratre.*
(c) *Vnde Belgis adagium* / een Geldersche borst / *pectus Geldricum pro sincero.*
(d) *An.* 1559.
(e) *An.* 1580.
(f) *Geldriæ Gubernator modò est Philippus Vilani à Gandavo, Princeps Isengenius, sive Mamineus aurei velleris eques.*
(g) *An.* 1655. *mense Septembri, Christina, Regina Sueciæ, Gothiæ, Vandaliæ tendens Romam.*

Hunc ſemper titulum, quamvis exuſta reſervas:
Hic, etiam flammâ cuncta vorante, manet.
Et jam pænè tuos cœpiſſem Roma (*h*) triumphos:
Quos Regina tui ſigna favoris habet.
Tibri Pater, parvis non eſt hîc currere velis:
Sit mihi fas prono vertere lintre Moſam.
Ad Ruram ſiſto, & Ruræ quam plangimus urbem
Everſam, patrio qualis ab igne fuit.
(*i*) Ius hîc ſupremum, nulli violabile, perſtat:
Æquus, & in multo (*k*) computus ære viget:
O fortunati, quos non Aſtræa reliquit!
Quæ triplici pendit juſque, piumque foro.
Digna loco facies, cultis non ultima tectis:
Hei modò ſpectatæ, nunc decor urbis, ubi eſt!
Obruta ſunt ipſis incenſa altaria Templis:
Sed non quo Numen fas erat igne coli.
Hei quoties memini, toties dejecta recurrunt
Limina, tam juſtis ſemiſepulta viris.

(h) *Quibus à SSmo Patre Alexandro VII. fuit excepta, pridie Nativitatis Domini, eodem ann.*

(i) *Concilium Supremum, in quo judicatur ſine appellatione, ſive (ut ajunt) per Arreſtum.*

(k) *Camera Rationum ſive computuum Regis.*

ELEGIA SECUNDA.

Initium incendii.

LVx erat à primo ſemper venerabilis ævo:
Quam Deus auguſtam Trinus & Vnus habet.
Læta dies læto compleverat omnia plauſu:
Natalis templi, ſumma ſed Vrbis erat.
Plurima quæ circùm vicinia fluxit eòdem:
Cum generoque nurus, cumque parente puer.
Non aliàs umquam ſpectârat (*a*) Gelduba plures:
Complêrant altas culmen ad uſque domos.
Cætera per denſas errabat turba plateas:
Auferat invitum quæ glomerata ſenem.
Feſtum agitat triplex, totâ cum plebe Senatus:
Exultatque modo dives inopſque ſuo.

(a) *Antiquum Geldriæ nomen ſecundùm aliquos.*

Attamen ex æquo differt ſua gaudia quivis:
Dum pia velatum compita Numen obit.
(*b*) Hoc manibus Præſul, formâ vultúque verendus
Exhibet, aſſiduâ ſubſequiturque prece.
Iamque die mediâ, mediâ proceſſerat urbe:
Cùm tremula è nitrio pulvere tecta ſonant.
Et tremor omen habet; monſtrant ſua ſigna favillę:
Sera nimis petitur damna per ipſa fides.
E ſclopo ſcintilla vorax per tegmina ſerpit:
Iam nimis in tales arida facta rogos.
Illa per ambiguos non obſervata receſſus
Emicat, & primam corripit igne domum.
Terruit unâ omnes, animi vultuſque reſidunt:
Quilibet obſequio ſeque ſuiſque probat.
Pars humeris ſcalas affert, pars altera lymphas:
Tertia quà pretio, quà prece poſcit opem.
Et fuit (ut magno in populo) fidentior unus,
Flammiferaſque trabes, tecta, domumque ſuper,
Vulcano inſultans, dum proxima quæque tuetur:
Ignitâ medius cogitur ire viâ.

(b) EVgenIVs ALbertVs DaLLaMont Mallandri, è qua familia Comites de Brandeville.

ELEGIA TERTIA.

Incrementum incendii.

IMproba ſpectat (*a*) anus, ſed quā ſpectaſſe timeres:
Innumeris nigra eſt frons caperata notis.
Lurida compoſito finguntur lumina fletu:
Vtque magis fallat, ſe cupit eſſe piam.
En ait, has adhibe (*b*) ſquamas (ter ſancta putares
Lipſana) quas aliquis ceu ſacra dona rapit:
Injecitque igni; mox deſiit illa videri:
Sed non quâ manſit, deſiit eſſe nocens.
Quid noceat, neſcis, quid proſit, inutile credis:
Lenimen dubitas, materiámne feras.

(a) *Venefica, velut conſtat ex depoſitione juridica.*

(b) *Inſtar exuviarum piſcis, quâ ſimilitudine teſtis eſt uſus.*

Nam

Nam ſubitò ingentes flammas, velut agmine facto,
Terrificis complent atria tota modis.
Fama eſt auditos gemitus, mœſtoſque ululatus
Inter ſtridentes pervolitaſſe rogos.
Turribus è ſummis tractus labuntur ad imos:
Hinc vel tartareas conſtitit eſſe faces.
Spectaſſes Patres, quos nomine ſignat IESVS,
Alterius memores, immemoreſque ſui,
Inſudare operi, compeſcere, cuncta tueri:
Deſtituuntque ſuam, dum flagrat igne, domum.
Commonet hos aliquis, ſtudio certatur utrimque:
Se vinci obſequiis ille, nec ille ſinit.
Cura Patrum vicit, reliquis ſua commoda cedant:
Servandis, ſatis eſt, civibus eſſe Patres.
Quòcumque aſpicias, nihil eſt niſi fumus & ardor:
Singula ſi luſtres, non niſi ſola putes.
Heu rerum facies! non una, atque omnibus una eſt:
Cauſaque diſſimiles, reddidit una pares.
Iam ſua quiſque fugit: patriâ velut exul in urbe eſt;
Nec ſi quò fugiat, tutiùs eſſe licet.
Ne mihi commemores incendia nota Dianæ:
Quæve Syracuſæ, quæve Saguntus habet.
Talis Roma fuit ſævo ſpectata Neroni,
Hæc Trojæ ſpecies, ipſaque Troja fuit.
(c) Tu Moſa, qui toties furibundus mœnia pulſas:
Non unis à te pervia facta locis.
Immanis quondam, poteras nunc mitis haberi:
Aggere ſi rupto ripa dediſſet aquas.
In laudem poteras veteres mutare querelas:
Nunc damnis poteras utilis eſſe tuis.
Omnia nequidquam, nil vis, nil proficit unda:
Natura, ignotâ lege, ſubacta jacet.
Vnda fovet flammas, flammis non ſaxa reſiſtunt:
Ipſe chalybs auro mixtus & ære fluit.

(c) *Inundatione ſuâ nonnumquam urbis portus pervadens ad uſque penè forum.*

ELE-

ELEGIA QUARTA.

Episcopi Eugenii *paternum & pastorale obsequium.*

SVblustres Præsul flammas illustrior inter,
Ceu pius Æneas, sacra Deumque ferens,
Substitit immotus; dubites (a) Aulæne, suine
Immemor, incensos tardet adire lares.
Heu quò non oculis (nec se deflentibus) errat!
Gutta cadit, magnos sistere digna rogos.
Cunctis illacrymans, cunctis lacrymabilis adstat:
Materies aliis, non tamen ipse sibi.
Conflagret Aula licèt, tectis non urimur istis,
Inquit, in afflictis civibus ardor agit.
Quilibet hìc meus est, hic me depascitur ignis:
Hunc quo restinguam flumine, sanguis adest.
Vrimur hoc uno, quò me rapit æstus amoris:
Numen, in hoc nostrã, quod gero, mandat opem.
Sic, se neglecto, properat, palatia fument
Illa Deo, sacrum se cupit esse suis.
Sic novus in rapidos prorumpit Curtius ignes:
Sic Codrus poscit victima sola mori.
Sic pius ardentes Vestæ penetravit in ædes
Appius, orbandus lumine, mente vigil.
Sic Decius certo devovit corpora letho:
Exoptans Patriæ damna redempta suis.
Non stetit hìc, quamvis potuisset, Præsulis ardor:
Verus amor nullum novit habere modum.
(b) *Insula* dicta *Dei*, modò si circumdata ponto,
Iam bis salva sibi nomine reque foret.
Hìc clausæ remanent æterno poste Sorores:
Nec, nisi quà Cœlum spectat, aperta via est.
Quò miseræ vultus, & inertia brachia tendunt;
Nam vocem & lacrymas, flamma, pavorq; tulit.

(a) *Aulam Episcopalem jam ignis invaserat.*

(*b*) *Insula Dei, Geldricè*, Godts weerdt / *Monasterium Monialium S. Augustini.*

Præ-

Præſul adeſt : medios inter, velut igneus, ignes:
Sollicitè trepidas, nil niſi clamat Oves.
Inſontes Animæ, Paſtorem agnoſcite veſtrum:
En adſum. Viſa eſt flamma dediſſe locum;
Namque ſtetit, muros, ſupremaq; culmina lambens,
Quò tutè fugiant, pendula monſtrat iter.
Vna deeſt numero, morbo gravis atque ſenectâ,
Hanc ſequitur tardo flamma benigna pede.
Nec niſi quò celeret greſſus, urgetque, premitque:
Moxque dato ſigno libera tecta rapit.

ELEGIA QUINTA.

Monaſterium Sanctæ Claræ concrematum.

QVid vos cõmemorẽ *Claræ* de nomine Claras?
Illius vitam dum quoque veſtra refert.
Omnia liquiſtis, patriam, matremque, laremque:
Voſque ipſas, ſoli turba dicata Deo.
Parva domus ſtabat, non parvis excita curis:
Sufficiens vobis, ſufficienſque ſibi.
Inſtar erat magnæ, poterat quæ nulla videri:
Quàm pia, quàm felix, quàm bene culta placet!
Vnica paupertas, humiles ornaverat ædes,
Paupertas fulgens ſimplicitate ſuâ.
Commoda quæ deſunt, locuples induſtria ſupplet,
Ingenio facilem ſuppeditante manum.
Quiſque locus juſtos aptè tam ſervit in uſus:
Vt nec dêſſe aliquid, nec ſupereſſe putes.
Sic apis in parvo congeſta alvêaria condit:
Sic nidum in parvo ſedula format avis.
Pro ſplendore nitor: pro luxu forma decori eſt:
His domus, his templum, his atria parva micant.
Quid

Quid precor, immites, nec fueræ parcere flammæ,
In tenui tantum, quod raperetis erat?
Omnia straviſtis, nec quid niſi buſta ſuperſunt:
Nulla quod occiderit, gloria magna manet.

ELEGIA SEXTA.

Monaſterium Patrum Carthuſianorum exuſtum.

DElphini montes, & quæ ſub montibus antra,
Condidit abſtruſis Gallia vaſta locis,
Tàm procul à damnis, quàm ſaxea teſqua favillis:
Ad vos ô quoties vota tulêre Patres!
Qui modò tam triſti tolerant incendia fato,
Coguntúrque alios pendere clade ſuâ.
Hos mediis ſpectes vivos habitare ſepulchris,
Pulvere vel medio conſtituiſſe caſas.
Cathuſiæ lumen, *Dionyſi*, (c) huc lumina verte:
Olim ſcribentis nunc ubi cella, vides?
Æternam, fateor, ſcripta immortalia lucem
Haud exſpectarant Lemnie furve tuam.
Vel te (*d*) Bethlemiæ potuiſſent flectere cunæ:
Tam ſanctum furias detinuiſſet opus.
Et ſcuto poteras, immunis turba, latêre
Illo, quod primâ cernere fronte dabas.
Victor at effrenis neque ſe, neque dirigit arma:
Nec ſatis eſt vires exerüiſſe ſuas;
Decretum eſt ſtraviſſe: cadant nocuíve, probíve;
Dummodò pro tumulis fœda trophæa locet.
Accedat veteri ſtrages hæc altera cladi;
Annè parum (*e*) Auriaco ſit violaſſe locum?
Hic rabiem ferro ſtiterat, tu Mulciber igne,
Quod ferro reliquum, jam furibunde voras:

Locus aſper ac deſertus in Delphinatu, quò S. Bruno cum ſex familiaribus mundum fugiens ſe recepit, anno 1084.

(c) *Vir hic celeberrimus ſcriptis, ac vitæ ſanctimoniâ clarus, obiit an.* 1469.

(d) *Sacellum in fronte Monaſterii ad normam Templi Bethlemitici ex vivo lapide constructum.*

(e) *Ann.* 1572. *Guil. Princeps Auriacus, armatâ hæreticorum manu Ruræmundam juvadens PP. Carthuſianos truculentum in modum interfici*

Hic

Hic vivos rapuit, tu vel post funera sævis;
Nec pateris functos occubuisse semel.
Parcere debueras, quibus Hæresis ipsa pepercit
Frangeret hîc diras atra Megæra faces.
Sed Phlegethontæis truculentior ignibus, instas:
Damnatusque (f) tuis, ignea damna feris.

sustinuit; quos inter P. Severũ Confluentinũ, ad ipsam aram, cujus sanguis parietem, ad 18. pedes altum, conspersit.

(f) *Eodem die quo Ruramunda conflagravit, Tremonii, in VVestphalia, cùm sacris Ecclesiæ Carminibus urgeretur malignus spiritus ad egressum ex energumeno, dixisse fertur, hoc ipso puncto temporis, operam suam esse Ruramundæ necessariam. Ita testes fide digni.*

ELEGIA SEPTIMA.

Collegium Societatis IESV conflagrat.

IMpie vastator, venerabile nomen IESV
Non potuit furias attenuare tuas?
Non rabiem ter sancta Dei reverentia frangit:
Nec se (a) Fojensis Virginis ara tegit?
Nec sacræ Divûm exuviæ, neque corpora sacris
Clausa locis, ullò vindice, tuta manent.
Conspicit hæc Rector, quò se vertátve, ferátve
Ignarus, templo dedicat unus opem.
Subsequitur comitum pars nec numerosa, nec apta
Vertere, Vulcanùs quæ fera tela jacit.
Cogitur angusto quidquid sacraria servant,
Nec servata quidem; quæ meruêre tegi.
Hîc sua res lucrum est, quāvis vel ab hoste redempta:
Hîc sua res spolium, non periisse, fuit.
Templo juncta domus, domui quoq; scena, liceumq;
Vno corripitur, diripiturque rogo.
Quod reliquum cinis est, cineri neque restat imago,
Quâ vix ruderibus prævia signa notes.
Quid nunc Phœbe tuâ præcingere tempora lauro
Profuit? haud lauro, nec tibi mansit honos.
Debuerat, si quas, proprias defendere sedes
Pallas, at heu cessit sedibus ipsa suis!

(a) *Hîc erat statua D. Virginis, miraculis celebris, è ligno Fojensis arboris, in qua reperta ejusdem imago, prodigiis clara.*

Igni-

Ignipotens Claudus Parnaſſum vertit in Æthnam:
Et quia Caſtalias non capit, odit aquas.
Vade, age, qui cælo pulſus, neque nectare dignus,
Cyclopes inter brachia nigra move.
Hîc potes ad numeros (ſi non procudere verſus)
Flectere, quæ durus ferrea corda geris.

ELEGIA OCTAVA.

Curia Concilii & Rationum Camera incenſa.

CVria (*a*) perfugium miſeris, rebuſque tuendis:
Dum cauſa implicitos litigioſa tenet.
In te quid raptum viduis, pueriſque relictis,
Sola quibus clypeum juſque piumque dabant!
Inſtrumenta volant rapidis exuſta favillis,
Armaque juſtitiæ caſſa ſub igne gemunt.
Nil præter lacrymas, & non medicabile vulnus,
Et ſterilis, quamvis juſta, querela manet.
Nunc jaceat Ratio, & rationum immobilis ordo;
Confuſus mixto computus ære fluat:
Nî celer obſiſtat, propriis qui Regia damnis
Anteferens, libros (*b*) Vurius igne rapit.
His apochas, tardiſque tulit quæ debitor annis
Pacta, palimpſeſto jungit ephemeridas.
Integra ſic res eſt Regi, magis integer ille,
Qui pro Rege lubens perdita, lucra putat.
Sic totâ ruit urbe ferox, ſævitque, furitque:
Quòque magis prohibes, quò magis ignis agit.
Conflagrat ante oculos quidquid ſervatur ab ævo;
Annis congeſtum diſſipat una dies.
Huc recidunt vigiles curæ, ſtudiumque, laborque,
Et morbi & macies & ſitis atque fames.

(a) *Vulgò Cancellaria.*

(b) *Graphus hic eſt Computuum, qui, neglectâ ſupellectile propriâ, rationum libros & inſtrumenta Regi ſuo ſalva præſtitit.*

Et solùm tædere manet : solatia desunt ;
Quíve affert aliis, indiget ipse suis.
Diviti inassueto quàm durum pondus egestas!
Quod fugiunt humeri, quam malè fertur onus!
Felicem vixisse nocet ; meminisse, perîsse est :
Quàm leviùs multò, nil habuisse, fuit!
Pauperiem sors nulla premit, se copia perdit ;
Plus, tibi quò fuerit, plus erit unde feras.
Nec spectare licet : sed nec spectare dolori est ;
Cogitur ereptis bis miser esse bonis.
Hei nunc ut Patriæ Consul (*c*) *Pollartie* flammas
Conspicis, auxilio cùi tamen esse nequis!
Omnibus unus ades vigilans, simul omnibus idem :
Pro viduis Tutor, pauperibusque Pater.
Propria tempsisti, te publica damna morantur ;
Nunc patet in quovis te patiente pati.

(c) *Anni* 1665. *&* 1666. *ac antea non semel Consul.*

ELEGIA NONA.

Palatium Episcopale flammis absumptum.

PRoxima constiterat laudati (*a*) Præsulis Aula :
E qua nunc restet quanta ruïna, vides.
Non illam (*b*) *Damasus*, non illā (*c*) *Cuycquius* olim
Incoluit, (*d*) *Castri* sed fuit illa prior.
In quam juncta suis sunt quanta impendia curis :
Antè capax tanti quàm foret illa Viri!
Hæc fuit illa Domus, signis ornata relictis
(*e*) *Cruesenii*, nullo dissoluënda die.
Cujus adhuc meminêre omnes; quā sedulus, & quàm
Sollicitè (*f*) sparsas Pastor obibat oves.
Tempore quàm justo, nocuas resecabat avenas :
Sub quo quàm dulci, versa cicuta thymo.

(a) *Eugenii Alberti, Ruræmundensium Antistitis.*
(b) *Primi Episcopi.*
(c) *Secundi.*
(d) *Tertii.*
(e) *Quarti,*
(f) *Vacârat Sedes annis* XII. *à morte Præsulis à Castro.*

Quàm

Quàm procul à tribulis viridantia deligit arva :
Talia vel si non invenit, ipse facit :
Vrticæ, lappæ, vel quidquid inutile tellus
Procreat, evulsum, sub pedibusque jacet.
Hæc istîc quondam. Factis nunc gratia major :
Curaque, nunc aucto major (*g*) honore venit.
Quæque gradu crevit, pariter crescente labore,
Iam nil quo virtus crescere possit, habet.
Proximus hûic Præsul digna est in Sede locatus
Eugenius; quid nî Nominis omen habet?
Nam bene nata colit, bene culta salubriter ornat :
Et nova (si qua manent fortè novanda) facit.
Tartareas Erebi pestes proscribit ovili :
Est & vicinis obvia cura malis.
Ne noceant dubio zizania mista colore :
Lecta laboratæ semina mandat humo.
Nec nisi qui certam promittat Vinitor uvam
Mittitur, indicium vita probata facit.
Sic teneras puerûm mentes per præmia ducit :
Sic tutam cunctis monstrat ad astra viam.
O quanto in pretio virtus, pietasque, fidesque,
Hostibus ut summo sit, fueritque loco!
Ipsi illum digno Batavi celebrâstis honore,
Dum sacrâ optâstis cernere veste Virum.
Hâc (*h*) medias lustrans urbes, quæ gaudia movit!
His testes plausus sint Neomage tui.
Ambrosium superesse ferunt, qui pectora nôrunt,
Fortunæ nullis concutienda malis.
Testis *Alexander Summus*, præconia (*i*) pandens :
Hanc lucem obscuro non latuisse finit.
Hesperiæ Regina favet; (*l*) quin Roma præivit :
(*m*) Laudibus, an studiis utraque prima fuit?
Iam satis est Geldros ornâsse, ubi viva reliquit
Ingenii ac vitæ signa notanda suæ.

(g) *Archiepiscopatûs Mechliniensis, & Primatûs Belgii.*

(h) *Neomagi, Gravia & Silva-Ducis, in veste Præsulis, à Gubernatoribus & populo honorificè exceptus.*

(i) *Per breve Apostolicum, datum 25. Aug. 1663.*

(l) *Hispaniarum Regina eum nominavit in Episcopum Gandensem, Cal. Febr. 1666.* (m) *Per novum breve Apostolicum, datum 18. Iulii, 1665.*

In

In minimo eſt, magnæ quod (*n*) campanilia turris
  Tinnula non ſolito juſſerit ore loqui.
(*o*) Aſt Templũ,(*p*) veteri(juſta eſt quia cauſa)relicto
  Munificas referunt Ara, Choruſque manus.
Quo reſonant ſacræ divino carmine laudes:
  Primus in hoc ſociis quod jubet, ipſe præit.
Hîc aures, animoſque trahit concordia diſcors:
  Pulſa fides vocem, vox modulata fidem.
Debuerant Pietate Viri miteſcere flammæ;
  Quin & debuerant Nobilitate Viri.
Vtraque terrebat truculenti fulminis ignes:
  Cùm dubitant quem ſit fas ſtatuiſſe modum.
Ne nihil indultum: Templum manet. Ilicet Aula,
  Vindictæ patiens, impia damna luit.
Tam nihil è tota reliquum, tam ſæviit ignis:
  Vt ſint, quæ ſpectes, antra vel Aula, roges.
Quam Præſul veſtem defert, eſt tota ſuppellex:
  Omnia ſic ſecum dives egenſque gerit.
Si gazæ ſpectentur, egens: ſi pectora, dives;
  Servato poterat quis miſer eſſe Deo?
Sint miſeri, quos aut animus, ratióve reliquit:
  Quod perdi potuit, perdere ſorte datur.
Hæc licèt externis ſumat ſibi ludere donis:
  Nil tamen in mentis munera juris habet.
Mens immota manet fortunæ impervia telis;
  Iſtàc *Eugenius* non penetrandus erat.
Non tam quiſque ſuos forti fert pectore caſus:
  Dum verti ſecum votaque, ſpeſque videt.
Dum videt & ſtragem & nullo reparabile damnum:
  Nec poſtliminii poſſe redire viâ.
Heu quot nunc ſubeunt lacrymæ,ſuſpiria, planctus!
  Vitaque (nî revocet ſpes levis) ipſa fugit.
Vita patris prolem: proles numeroſa parentem
  Detinet; hæc aufer; quærat uterque mori.

(n) *Sumptu ſuo concordiam campanularum horis præludium ſuavi auribus oblectamento curavit.*
(o) *Sti Chriſtophori, quod peramplum & auguſtum ab Eugenio exornatum.*
(p) *Sti Spiritûs, quod anguſtius ac minùs cõmodum.*

Nam

Nam vitam ſpreviſſe parum eſt, ubi vitaque morſque
Nil differt, dubites quæ ſit amanda magis.
Sors eadem dubiis aufert diſcrimina votis:
Tam manet in promptu nolle, quod antè velis.

ELEGIA DECIMA.

Monaſterium Ciſtercienſium, *vulgò* Munſter, *ambuſtum*.

CHriſtiparæ clauſtrum (deflexâ voce Sicambris
(*a*) *Munſter*) ſpectandum nobilitate manet.
Hîc geminum quæ vivâ latus tot millibus ornas
Sanctarum, moriens Vrſula mille trahis,
Parte tui magnâ te ſepta Monaſtica cultu
Condecorant; gaudes hîc Capite eſſe minor,
Attamen haud pretio. Nam divite clauditur arcâ,
Quod reliquum (*b*) è Sociis Teque tulêre ſuper.
Parte aliâ celebres vos *Sancta Colonia* ſervat:
Quâ Camera auratas monſtrat eburna trabes.
Hîc digitum *Bernarde* tuum medicamina morbis
Corporis, atque animi plura dediſſe ferunt.
Ipſe locus, multis urbi præſtructus ab annis:
Antiquum eſt Gothicæ poſteritatis opus.
Quæque habitant, claro virtutem ſtemmate ſignant:
Hoc quondam Proavos exhibet, illa Deum.
Hîc quoque dimidium, nullo diſcrimine ſacri,
Cuncta vorax ignis non niſi buſta facit.
Templa tamen ſaxo pertentans ſtructa vetuſto,
Indoluit vires nil valuiſſe ſuas.
Nec niſi parietibus nigrantes undique fumos,
Irarum teſtes juſſit ineſſe notas.

(a) *Contractum ex voce* Monaſterium, *VVeſtphalis*, *Eyphalis*, *VVaſiis*, *Anglis*, *aliiſque paſſim uſurpatum.*

(b) *Quarum plurimæ & ſpectabiles hîc aſſervantur Reliquiæ.*

ELEGIA UNDECIMA.

Domus & Sacellum Vrſulinarum flammis everſa.

ADde Gynæceum, titulo quod ſanćta decorat
Vrſula, (vix primos fixerat urbe lares.)
Non vos tam ſacro munitas Nomine juvit,
Aut vita, aut pietas, aut docuiſſe pias.
O quàm multa refert è vobis commoda Civis!
Geldrica Nobilitas quàm bona multa refert!
Hîc cernas variâ diſtinćtas claſſe puellas:
Vt docilem ingenio quamque Minerva facit.
Seu firment miro diſcrimina linea nexu:
Naturæ jures eſſe, nec artis opus.
Seu digitis calathos, manibus ſeu ſtamina traćtent:
Ars ſua præſtantes invidioſa facit.
Huic ſtudium radio tenſas decurrere telas:
Dein preſſo laxum pećtine jungit opus.
Hæc varios imitata, tulit quos terra colores,
Quo non obſerves ordine; pingit acu.
Quod ſi nō ſuperet, quos Hybla, aut fūdit Hymettus:
Flores Hybla tuos æquat, Hymette tuos.
Sic roſa, ſic violæ, ſic candida lilia fallunt:
Pingi Narciſſus, ſic Amaranthus amat.
Ipſa Ceres ſegetes: uvas prætentat Iächus:
Pan Sylvas: Faunus vellera: Rhenus aquas.
Sæpe ipſas querulo volitantes murmure circùm,
Mellea ſpirantes dona, fefellit apes.
Flora ſuos flores: Pomona ſub arbore poma,
Et putat, & fingi non quoque poſſe putat.
Vtraque ſe luſam videt, & negat: utraque gaudet,
Quos cernit frućtus eſſe, nec eſſe ſuos.

Sic

Sic licèt invitus; cunctis fit gratior error,
Qui non sperata major ab arte venit.
Nec desunt Charites, quas nutrix Gratia fovit:
Quidquid & humani civica vita docet.
Quæ deceant primam: major quæ postulet ætas;
Nil quod grandævam formet & ornet, abest.
Illo de numero Musas legisset Apollo:
Auxissetque novum quælibet apta chorum.
Hæc fidibus vocem, jam voci cymbala miscet:
Illa lyram movet; hæc barbiton, illa chelin.
Ad numeros carmen ne quis desideret, audi,
Et specta illustris quàm bene scena refert.
Hæc sibi *Mamineas*, *Volfeccam*, accitque *Gelenam*:
Varmondam, *Stirum*, jungit & *Honsbrochiam*.
Ne cunctas referam, me nomina celat Apollo:
Multaque contracto non finit ire pede.
(*a*) Aldegundinas hîc *Blittersvicia* partes:
Septenâ quamvis luce placere facit.
Hâc famâ geminam Princeps (*b*) *Sulsbachia* prolem
E quàm (*c*) longinquis mandat adesse locis!
Inde (*d*) *Sigismundo Augusto* lectissima (*e*) Conjux
Non alia, aut alibi digna petenda fuit.
Sicque Deo mentem, pro Cæsare Cæsaris arma,
Connubii sacrâ sancit in Æde torum.
Hæc non te Vulcane furens, non jura, fidèsve,
(Si qua tibi superest) relligione movent?
Delatum nil Connubio, Imperiòve, Deòve?
In cineres abeunt atria, templa, domus.
Parva cohors (*f*) Beggæ, tectis exusta, profugit:
(*g*) Externum patrio vertere visa solo.
Quid facerent? res nulla super, spes omnis adempta:
Quâ caret, invitus quisque negabat opem.
At sensim parvo crescant melioribus usæ:
Donec in antiquos sors vocet æqua lares.

ELE-

(a) *D^la Clara Isabella de BlittersWyck, Nob^mi Viri Guilielmi filia, septies pro scena D. Aldegundem, ad omnium stuporem exhibuit.*

(b) *Conjux Serenissimi Principis Sulsbachensis* CHRISTIANI AUGUSTI, *quæ Principis* MAURITII NASSOVII *Soror.*

(c) *Trecentis penè milliaribus.*

(d) *Serenissimo* Sigismundo, *Austriæ Archiduci, postmodum nupta.*

(e) Maria Augusta.

(f) *Begginagium, vulgò* Boen-hof.

(g) *Ad alias civitates subsidium imploratura abierunt.*

ELEGIA XII.

Domus Amplißimi D[ni] *Guil. de Blitterswyck, Consiliarii Regii, à flamma immunis.*

EST Domus, hanc uno discernit Civica muto:
  A *Blittersvico* nobilitata Viro;
Haud ulli cedit formâ, cultúque, situque,
  Omnia sed superat commoditate loci;
Vrbs, ubi tota patens, visu lustratur eodem:
  Proxima sunt laribus Curia, Templa, Forum.
Hac tibi, *Sancte Pater*, (*a*) (*Fabio* tunc) hospes in æde
  Hospitis obsequium dum sua, seque parat,
Nescio quos Dominus, quos ignes concipit ædes:
  Ipsa suis fertur pænè cremata rogis.
Pontifici meminisse placet (*b*) *Dum gratia nostri*
  Vrere compellit teque tuamque domum,
Menè an ames dubitem? genius quoque lusit in istis.
  (c) *Non hæc fortunæ fax, sed amoris erat.*
Fortunæ extincta est, fax sola remansit amoris:
  Sic cessit flammæ flamma profana sacræ.
Et sua signa dedit, ne postmodò flamma noceret:
  Vt nunc communem non nocuisse liquet.
Dic age, cur alias perdens, huic flamma pepercit?
  Num submissa Patris sit venerata Pedes?
Viribus ipsa minor, Romanum fulmen adorans,
  Quod mare, quod terras, tartara & ipsa domat?
Da veniam, si vera canam. Quidni adfuit (*d*) absens:
  Ad cujus Stellam (*e*) flamma subacta jacet?
Senserit hæc lumen: fausti vel sideris ignes:
  Vel radiis vires diriguisse suas.
Concessit *Chigio*. Testis Domus ipsa superstes:
  Quæ, nisi tam blando sub Iove, pulvis erat.

(a) Fabius Chigius, *tum Nuncius Apostolicus, Monasterio ex pacificatione redux, invisurus Ruræmundæ Nobilissimum Dominum, Guil. de Blittersẉyck, sub finē anni* 1649.
(b) *Verba sunt* Suæ Sanctitatis.
(c) *Responsum filiorum ejusdem D. Consiliarii, ubi eos* suaSanctitas *admisit ad Pedū Oscula, ac non uno munere beavit.*
(d) *Sanctissimus Dominus.*
(e) *Chigianam.*

ELE-

ELEGIA XIII.

Præsul Eugenius *ad D. Virginem extra urbis muros confugit.*

VIrginis eſt fanum, vulgus cōpellat(*a*) *Arenam:* (a) *Sacellum D. Virginis in Arena, vulgò* Onſe Lieve - Vrouwe in 't Sant.
Nō procul urbe ſuus vel modò cōſtat honos.
Rara loco pietas: hîc relligionis avitæ
Plurima, quæ circum pendula, ſigna gerit.
Ex auro locuples, affixit cerea pauper:
Quæ dona ex voto lætus uterque tulit.
Sæpius hinc mœſtus poſito mœrore receſſit,
Re gaudens magnâ, ſpes ubi nulla priùs.
Diverſo quivis memorat ſolatia caſu:
Ille manum; hic oculos, hic caput, ille pedem;
Semper ibi afflictis ſtatio tutiſſima rebus:
Huc triſtis, triſti cum grege, *Paſtor* abit.
Spectabant miſeri, properantem quilibet orat
Ignarus: cœptæ quæ tibi cauſa viæ?
Quò raperis, ſpes ſumma, *Pater?* quò deſeris urbem
Fumantem? ſequimur, quò moriturus abis;
Sors rapiat nos una ſimul, ſimul ibimus omnes:
Te nati leviùs cum Patre fata ferent.
Nec Flammas, inquit, nec vos, mea viſcera, linquo:
Cunctis præſidio Virginis ara vocat.
Sumere conſilium ſacrâ mihi detur Arenâ:
Hâc eſt (namque ſolet) Virgo datura manum.
Explicat ecce ſinum fugientibus obvia *Mater:*
Quo ſit certa quies, explicat ecce ſinum.
Hîc vos *Vrſulides*, & quas dedit *Inſula* ſalvas,
Dividit hoſpitiis, cum Duce quamque ſua,
Immemor ipſe ſui, cui *Dalenbroechius* Heros
Submiſsè defert ſeque ſuoſque lares.

Nec poterat meliore Arcem custode tueri:
  Nec pietas ullo tutior esse loco.

ELEGIA XIV.

Vrbis bustum fumigans.

VEsper adest: passim credas occurrere Manes:
  Præque metu facies, forma, colorque perit.
Iamque exhausta micat per luces flamma malignas,
  Fitque simul moriens flamma, favilla, cinis.
Insurgunt tenebræ, tenebris certatur & umbris:
  Est face qui dubiâ seque, suosque timet.
Certa incerta via est, patet area, semita quondam:
  Seps, obex, limes, terminus omnis abest.
Autumno hîc legeres malè tosta sub arbore poma:
  Igne novo præcox musta raceme dares.
Atria sunt campi, nisi quòd prohibentur arari:
  Nec sit quo liber tramite vomer eat.
Mugit, rure redux, quærens præsepia taurus;
  Mæstaque non noto limine balat ovis.
Vade pecus, Domini lachrymis conjunge querelas;
  Lanaque, pro luctu suppleat atra vices.
Huîc infans patri, matri tibi quæritur agnus:
  Quisque suâ infelix conditione gemit.
Quos si fors aliquis, confundens ossibus ossa,
  Collectos tumulo jusserit esse simul:
Pro geminis Saxo titulis scribetur eodem:
  Aspicis? hac agnos contigit urna duos.
Nunc urbe è media pars huc, pars cesserat illuc:
  Quamque suo mavult quolibet esse loco.
Fit conclave specus, præbet sedilia saxum:
  Testa focum, mensam rudera, terra torum.
Nox ruit una triplex, cælo, fumoque, metuque.
  O suprema satis, de tribus una foret!

In-

Increſcunt curæ; ſopita eſt flamma; reſurget.
Somnus adeſt; terret: ſuſcitat ipſa quies.
Lumen abeſt, nec abeſſe velis, horretur & optas:
Vtilitas, damni proximitate, nocet.
Si votum eſt properare diem, properaſſe pigebit:
Cernere formidas, quod ſupereſſe voves.
Quid ſperes, neſcis, veris majora timentur:
Sors quæcumque latens æqua & iniqua premit.
Aſpice *Ruramunda*, micat quo vertice (*a*) Cuſtos
Stellarum: dubitas? eſt ſimul illa tui.
Hæc Cynoſura tibi, vel ſi quod mitius aſtrum:
Heſperus eſt noctu, Boſphorus illa die.
Hanc longè *Præſul* tenebris ſpectabat ab imis:
Fax, inquit, tenebras auferet iſta meas.

(a) *Stella chiſia, cuſtos montium.*

ELEGIA XV.

Alexander VII. *Pontifex Maximus* Eugenium *cum incenſa urbe litteris ac decretis muneribus recreat.*

LIttera Ruripolim defert in imagine Romam,
Vix quidquam monſtrās urbis ab urbe ſuper.
Hanc legit Antiſtes ſummus miſeranſque, dolenſq;
An credam lachrymas continuiſſe ſuas?
Heu quantos gemitus! heu quæ ſuſpiria duxit!
Dixiſſes propriis indoluiſſe malis.
En ego ſum, qui te fratrum chariſſime, noſtro
Laſſatum cuperem poſſe fovere ſinu.
Ipſe ego ſudorem ſemûſtâ in fronte levarem.
Semineci vitam reddere cura foret.
Romanos vellem tibi ſponte patêre Penates,
Vaticane tuos, & Laterane tuos.
Ipſa ſuos faceret bene nota nec hoſpita Virtus,
Quæ quòcumque venit, ſemper honora venit.

Or-

Ornaret sacrum Tyrio plus murice tectum,
Et decor, & columen, præsidiumque loco.
Hæc mihi jam coram Deus aut fortuna negavit:
Me tamen absentem, quid vetat esse pium?
Sic & in absentes diffundunt sidera lucem:
Et longè positos Lunaque, Solque fovent.
Vtque priùs magnos collustrent lumine montes,
Attamen & radios devia vallis habet.
Sic modò Ruripolim pro me mea littera vise,
Affectuque Patris verba benigna refer:
Illi propitiis meliora resurgere Divis,
Pro latere, ex solido marmore tecta velim:
Illi tigna Cedrus, Libanus laquearia firmet,
Ornet ebur postes, pacis oliva fores.
Vota damus: paribus jungantur & omina votis;
Hæc auri, nostro munere, pondus erunt.
Dixerat. addicit donum, quo diruta mandat
Atria, structuris exuperanda novis.
Ite pii genii, bona nuncia ferte Sicambris:
Dicite Romano vertice *Stella* favet.
Affulget radiis, quibus omnia lustrat & ornat,
Idem Romulidum Ruripolisque Pater.
Mille tibi titulos, Pater ô tibi nomina mille
Acclamant miseri millia, mille modis.
Exoptant annos, quot sidera volvit Olympus:
Ipsaque deposcunt sidera, tardus adi.
Sitque tuum stellis aliis fulgentius astrum:
Nec nisi sit *Chisiâ* luce serena dies:
Hâc sibi conspectâ declinet navita Syrtes;
Turbine nec Boreas concitet ullus aquas:
Cæptum carpat iter pulso latrone viator,
Institor hâc merces ad fora tuta vehat.
Tityrus hâc placidas ducat per prata capellas;
Hâc missum repetat rustica canna melos:

Il-

Illa tuas laudes æterno carmine promat,
Quas montes, valles, paſcua, ſilva ſonent.
Quàm grati poſthac animi ſua ſigna rependent:
Qui nondùm acceptis tam pia vota ferunt!

ELEGIA XVI.

Alexandri VII. *munificentiâ perfruuntur Ruræmundenſes.*

MVnera Põtificis gemino ut ſint nomine chara,
Ad Belgas (*a*) *Marius* quàm celerare cupit!
Senarum *Marius*, magnæ lux inclyta gentis,
Vrbis honos, Nati gloria, Fratris amor.
(*b*) *Flavius* emiſſis per compita certa veredis,
Prævertit certis, Nuncia prima, notis.
Non, ſi junxiſſet volucres Caducifer alas,
Promptiùs explêſſet Regia juſſa Patris;
Imperium factis æquans, tabulaſque modumque
Expedit; obſiſtat ne mora parva, cavet.
(*c*) *Vecchius* intereà munus gratatur Amico:
Affectuque pari ſponſor & augur adeſt,
Multaque vaticinans tacitis prænuncia votis
Eugenio, (rebus quæ modò vera) canit.
Illo Belgarum memorem, gratumque, Patremque
Se probat; & memorem ſe quoque Belga probat:
Hoc uno inferior, dignas quòd reddere grates
Non queat; ut ſolvat, nil niſi fauſta vovet.
Celſa petunt (*d*) Aquilæ, ſcandunt faſtigia Cervi:
His Belgæ ſignis omen ineſſe volunt.
Pectore quàm læto ſe (*e*) *Roſpiglioſius* effert,
Principis excipiens obvia dona ſui!

(a) *Sanctiſſimi Dñi Germanus Frater natu major, patriâ Senenſis.*

(b) *Excell. D.* Marii *filius unicus, Eminentiſ. Cardinalis Chiſius.*

(c) *Internuncius nuper Apoſtolicus in Belgio ac Burgundia.*

(d) *Aquila & Cervus, inſignia gentilitia* Vecchiorum.

(e) *Impræſentiarum Belgii ac Burgundiæ Internuncius.*

Protinus ad Geldros & perpetis Oſtia Ruræ
Siſtuntur cupidis pignora grata locis.
Illis Pontificem, ſimul & ſe mittit in illis:
In pretio pretium deproperaſſe, fuit.
Hoc pietas, hoc cura facit: teſtatur utràque
Eximjum Gelder, ceu ſua Roma, Virum.
Pars hæc quanta tui eſt, Vir magne? tuóſne tot inter
Æqualis Proavos, quos imiteris, habes?
Sunt hi ſpectatâ virtute & ſtemmate clari:
Quiſque ſuo major, quo viguêre, gradu.
Eminet his (*f*) Patruus, cunctos complexus, ab illo
Antiqui normam poſteritaſque petunt.
Hic eſt cuì tutò cordis penetralia fidit
Præſul, qui mundi jura ſuprema tenet.
Pondera ſummus Atlas, quamvis par ipſe ferendo;
Hunc velut Alcidem parte levare jubet.
Aſpice quàm latos humeros, artuſque, toroſque,
Altior humanis mens generoſa fovet.
Forſitan Vrna Iovis (Pylios priùs expleat annos
Septimus, ô nullâ dignus obire die!)
Hæc, magnorum inter meritiſſima Nomina ſervat,
In faſtos quondam quæ referenda novos.
Quid rubor ora tegit? votis precibuſque repugnas;
Te *Roſpiglioſi* velle latêre ſcio.
Namque tuos annos, Domino, Patrique dicatos
Totus in obſequiis evolüiſſe cupis:
Hoc proprium genioque tuo, ſtudiiſque, animiſque:
Qui tibi nil, aliis omnia ſpontè voves.
Qui tamen eſſe fugis, non effugis aptus haberi;
Hâc ſaltem magni voce quieſce Iovis.
Te dignum memori ſervent in pectore Divi:
Pectore quo claudi non niſi ſumma ſolent.

(f) *Eminentiſſimus Cardinalis* Julius Roſpiglioſius, *Sanctiſſimo Patri à Secretis Statûs, Patruus modò dicti Illuſtriſſimi Internuncii.*

ELE-

ELEGIA XVII.

Contestatio Gratitudinis pro munificentia Pontificis.

M*Axime Alexander*, tibi quas pro munere grates
Pulvere Ruripolis semisepulta feret?
Pace tuâ, Sanctis Pedibus submissa procumbens,
Hoc, tua, vel simili carmine, dona canat.
Septime Alexander, mundi Præsesque, Paterque
Iure licet cunctis, es potiore Meus.
Præsul vive animis, numquam moriture meorum,
Vrbs Ruræ potero dum memor esse mei.
Nam quoties trepidæ occurrent incendia menti,
Clarior his flammis lux tua semper erit.
Tu Præsul templis, tu nomina digna columnis
Insere, non ullo contumulanda die.
Ipsi te muri, turres, & saxa loquentur,
Et dicent: stamus, quòd rediviva, tuum est.
Quàm vellem auratis Chisiorum sculpta tabellis
Figere, commonstrent quæ monumenta lares!
O quàm læta mihi, miseris quàm grata referrent!
Fallor & hos titulos intima corda gerunt.
Hos totis clamat domibus, nec inutilis Echo
Et septena sonant atria: *vive Pater.*
Hoc cum prole parens septeno carmine pangit:
Vive Pater Patriæ, terque quaterque meæ.
Vox erit hæc eadem, dum vox, dum vita manebit;
Vitaque dum fugiet: *Septime vive Pater.*
Hic honor est verus, peperit quem vivida virtus,
Dum te non tituli: sed tua facta canunt.
Subsidio populis miserâ succurrere sorte,
Et magnâ, ærumnas reddere parte suas.

Nil

Nil hîc livor habet, carpat quod dente maligno:
In solido frangat, quove retundat, habet.
Fluctibus hæc cautes: ventis immota columna,
Igne super, soli proxima sola Deo.
Sensit Aquisgranum, vicinaque damna benignè
Fecit subsidiis esse minora suis.
Legia te paribus, te sancta Colonia donis,
Quos colitis, similes vos liquet esse viris.
Sic (a) Venlona facis, sociæ miserata ruinas
Vertæa, Herculeum, Strala, Masceca, Torum.

(a) *Vicinæ civitates, & oppida.*

ELEGIA XVIII.

Vindiciæ adversus Obtrectatores.

ATtamen hos ignes si quis malus arguat Ibis
Et velit irati Numinis esse faces:
Tela (licèt virtus scutum sibi) cassa retundam:
Si læsura putet, qui jacit, ipsa feret:
Ruripolis, fateor, casus quàm vertit iniquus,
Conspicitur sextâ vix modò parte sui.
Non illud mores, non illud nota tot inter
Confines probitas commeruêre pati.
Sit procul hinc malesuada fides, procul impius error,
Qui notat ingenio quæque, probatve suo.
Vrbs sacrata Deo, populus sincerus & insons;
Mens ignara mali: gens pia, justa, proba est.
Si proba: quid patitur? si justa; quid expiat ignis?
Si pia; quid pietas non toleranda ferat?
Quisquis supplicio designas nomina culpæ,
Erras: nam fuerit sic tibi quisque reus.
Hic puer: hic amens; dedit huic sua pignora Cælum:
Hic lapsu: perit hic ignibus, alter aquis.
Da mihi magnorum quemvis ex ordine Divûm,
Quin insons subiit, quæ subeunda reo.

Abra-

Abramidum Ductor quid te justissime Patrum
Ignotas toties cogit adire plagas?
Et tu Nate Patris fortunæ & nominis hæres,
Crimine quo toties hospes & exul eras?
Si pœnam spectas; similis fuit illa (a) Caïni:
Si culpam; reus hic; ille, nec ille fuit.

(a) *Qui fuit profugus & vagus super terram.*

Culpa trahat pœnam; non est quæ pœna videtur
Supplicium, pœnæ nomina causa facit.
Sanctior an quisquam fuit, aut servantior æqui,
(b) Isacide? & quisquam qui mala plura tulit?
Quot natos, (c) numerat totidẽ monumenta doloris;
Hic ferus, incæstus, turpis hic, (d) illa levis.

(b) *Iacobo, Isaaci filio.*
(c) *Decem sat notos.*
(d) *Dina.*

Quilibet in Ioseph fratrum sceleratus, & audax;
Hic facit, is tolerat, fert in utrisque parens.
Quisque suo gravis est cum crimine, criminis autor;
Nec solùm refert quanta: sed unde feras.
Ipsa tuo ut videas discerpi viscera telo,
Vt tua sint vulnus dona: tyrannus amor!
Heu crudele nimis! tamen hæc, Pater optime, jure,
An subeas insons, sit dubitare nefas.
Ioseph, chare Puer, justi pia cura parentis;
Quot facis ærumnas, seu dolor est vel amor!
Et facis, & pateris: num te quoque crimina plectunt?
Quem licèt in minimo, criminis umbra fugit.
Si scelus est vendi, fratrumque obvolvere crimen:
Mancipii innocuas vincula ferre manus:
Si scelus est fugisse lupam, castumque probasse:
Si pro tot meritis carcere clausa fides:
Iam scelus est virtus, scelerum quia subdita pœnis;
Sic insons possit quilibet esse reus.
Adjice nunc Iobos, Danieles, adde Davides,
Et quos innumeros Pagina sancta refert.
In quibus an virtus fuit, an patientia major?
Altera at alterius testis & arrha fuit.

O Cer-

Cerne Machabæam ſeptenâ in prole cadentem:
Quæ tamen in quâvis prole cadendo, ſtetit,
Quæ nova facta parens toties, quot funera vidit.
An ſcelus huic, toties fata tuliſſe, fuit?
Scilicet eſt illo virtus ſpectanda theatro:
Hoc Divûm plauſus in ſua facta trahit.
Eja age Ruripolis, trahis in ſpectacula Divos:
Igne tuo, virtus clarior Orbe micat.
Si tua te nequeant, fac ſpectent lumina Montes:
En tibi Romanis Montibus Aſtra Micant.
Montibus ex iſtis nil non optabile fulget:
Ipſa tuas metuis, flamma ſed iſta favet.
Ergo tuos caſus animo fer magna benigno;
Roma ſuis, quoties ignibus hauſta fuit!
Hoc potes exemplo (Romana hoc ſidera ſpondent)
Hoc potes in Romam creſcere læta novam.

SYNCHARMA RHYTMO-MUSICUM

EUGENIO ALBERTO, HOSPITI SOSPITI,

Ruræmundenſium Antiſtiti.

I.

Vivat millies Antiſtes,
Ex incendio ſuperſtes:
Illum Numen præſervavit,
Qui ovile propugnavit.
Vivat gemma Præſulum :/:
Sit venerandus,
Semper amandus,
Vivat honor & amor omnium.

II.

Theodoſium ſi dares:
Hunc Ambroſium ſpectares,
Inconcuſſum & quietum,
Caſus inter Deo fretum.
Vivat gemma Præſulum, &c.

III.

Ruræmundam qui vidiſſet,
Heu quos ignes ſtupuiſſet!
Vin' ut paucis virum ſignes?
Stabat Præſul inter ignes
Vivat gemma Præſulum, &c.

IV.

Cujus aula dum flagrabat,
Solis civibus ſudabat:
Modò ſalva perſtet caula,
Opes valeant & aula.
Vivat gemma Præſulum, &c.

V.

Pro tot civibus ſervatis,
Cur non Civicâ donatis?
Illum cuncti celebremus,
Lauro dignum coronemus.
Vivat gemma Præſulum :/:
Sit venerandus,
Semper amandus,
Vivat honor & amor omnium.

Decantatum Mechliniæ, 24. Novembris, 1665.

ALEXANDRO VII.

PONT. MAX.

DUM EJUS AUXILIARIBUS NUMMIS

AULA REVERENDISSIMI RURÆMUNDENSIS,

POST DEFLAGRATIONEM RESTAVRARETVR,

ANNO CHRONICO DESVMPTO EX HVIVS NOMINE,

EVgenIVs ALbertVs D'ALLaMont,

Distichis hisce Chronicis gratias agit Ruræmunda.

E L E G I A.

CVM tIbI VotIVos eXoLVIt VVLgVs honores,
LætaqVe tot LaVros ConCInIt AsCra tVas;
Nos qVoqVe, sanCte pater, pLaVsVs & IVbILa posCVnt;
Nos IVVat aVDaCI DVLCIVs ore LoqVI.
NeC MIhI tot strages pLebIs, neC fLebILe nostrI
obIICIas CInerIs forte recentIs opVs.
PertVLIMVS, fateor, qVæ VIX eVoLVere nobIs
AVt LICet, aVt ChronICâ strVCta tot arte LoqVI.
PertVLIMVs strages, LVCtVsqVe & fVnera, VeL qVæ
NVnC foret eXosVs CVnCta referre Labor.
VIX qVoqVe nVnC Longo Cessant INCenDIa fLetV,
LargVs Vt eX nostrIs DefLVat ILLe genIs.
Ast ea sat VVLgVs noVIt: neC hIVLCa CICatrIX
VLLâ se tangI sVstInet VsqVe ManV.
SI taMen hIC qVærIs, CVr nostra sIt eXVLe fLetV
LIngVa tIbI ChronICIs VersIbVs aVsa LoqVI;
CaVsa sat In proMptV est: hanC tV qVoqVe noVerIs aVCtor,
CVIVs & ILLa pIo CaVsa faVore VenIt.
ECCe tVVs RVræqVe strVIt noVa teCta saCerDos:
IstVD erIt reLIqVæ CVLtIVs VrbIs opVs.
Par erIt AVthorI: tantVM qVoqVe Cætera VInCet,
CIVIbVs hIC qVantò pLVs LeVat Vrbe CapVt.
saXa qVot hIC VIses, qVasI tot portenta VIDebIs:
sVrget & AVsonIo More sVperbVs apeX.
HIC LoCVs arte noVâ parILes eXtrVCtVs In arCVs
PræsVLIbVs trIta est AVLa fVtVra MeIs.
Vt VeLIt EVgenIVs, non sVppar sVMptIbVs ILLe:
QVI nVnC Vasta LoCet septa VeL ILLa LeVet.
HeV MIhI! qVaLIs eras, VbI faX VVLCanIa PræsVL
TeCta, penVs, LoCVLos abstVLIt atra tVos?
VIDIMVs eXVstâ sVbItIs tot ab IgnIbVs aVLâ
serò sVbVrbanos qVærere rVre Lares.

Te

ELEGIA.

CVm tibi votivos exolvit vulgus honores,
Lætaque tot lauros concinit Ascra tuas;
Nos quoque, Sancte Pater, plausus & jubila poscunt:
Nos juvat audaci dulciùs ore loqui.
Nec mihi tot strages plebis, nec flebile nostri
Objicias cineris fortè recentis opus.
Pertulimus, fateor, quæ vix evolvere nobis
Aut licet, aut chronicâ structa tot arte loqui.
Pertulimus strages, luctusque & funera, vel quæ
Nunc foret exosus cuncta referre labor.
Vix quoque nunc longo cessant incendia fletu,
Largus ut ex nostris defluat ille genis.
Ast ea sat vulgus novit: nec hiulca cicatrix
Vllâ se tangi sustinet usque manu.
Si tamen hîc quæris, cur nostra sit exule fletu
Lingua tibi chronicis versibus ausa loqui:
Causa sat in promptu est: hanc tu quoque noveris Auctor,
Cujus & illa pio causa favore venit.
Ecce tuus, Ruræque struit nova tecta Sacerdos:
Istud erit reliquæ cultius urbis opus.
Par erit Authori: tantum quoque cætera vincet,
Civibus hic quantò plus levat urbe caput.
Saxa quot hîc vises, quasi tot portenta videbis:
Surget & Ausonio more superbus apex.
Hic locus arte novâ pariles extructus in arcus
Præsulibus trita est Aula futura meis.
Vt velit *Eugenius*, non suppar sumptibus ille:
Qui nunc vasta locet septa, vel illa levet.
Heu mihi! qualis eras, ubi fax Vulcania Præsul
Tecta, penus, loculos abstulit atra tuos?
Vidimus exustâ subitis tot ab ignibus Aulâ
Serò suburbanos quærere rure lares.

TeqVe, tVosqVe forIs qVæsIto VIVere VICtV:
QVasqVe tVIs DeDeras non habVIsse Dapes.
VnDe IgItVr DVrIs noVa spes aVt gratIa rebVs?
VnDe tot eXpensas qVI ferat, VLLVs erIt?
Ah! pIVs est Aether: & VIVVnt æthere DIVI;
QVâ qVoqVe VIX speres hI MaLa parte LeVant.
HVssæVs Vates qVot fVLgVrIs IgnIbVs agnos
PerDIDIt? at raptas pLVs DeVs aVXIt opes.
ConVenIVnt, hVnC & propIVs soLantVr AMICI,
NVnC qVoqVe non parVo, qVà LICet, ære IVVant.
sIC VbI nostra tVLIt VoLVCrI bona MVLCIber Igne,
PVLVIs & EVgenII præsVLIs AVLa fVIt;
QVILIbet hIC Certant MIserIs sVCCVrrere rebVs:
AVXILIIsqVe CItò, sVppetIIsqVe foVent.
At tVa, sanCte Pater, VIrtVs præIt VnICa CVnCtIs,
Non LeVIbVs VVLgVs sVeta LeVare MaLIs.
HVIVs Vt aVDIstI CasVs strepItVMqVe rVInæ,
QVIs tIbI non angor, qVIs tIbI sensVs erat?
HeI MIhI! fLeXVs aIs, qVo tV nVnC InCLyte præsVL,
ResqVe tVæ sVbItò proCVbVêre LoCo?
TV VeterIs LVX VrbIs eras; gentIsqVe SICaMbræ,
CLarVs aVIs; CLaVso nVnC Lare paVper erIs?
Non ea Mens, InqVIs; neC sensVs hIC AVsonIs AVLæ:
CVnCtaqVe Lapsa LeVas, aVXILIoqVe foVes.
MIttIs & hVC Ingens argentI ponDVs; & optas
Hos reparent gazIs Astra benIgna Lares.
I, nVnC fortè roga, posItIs CVr LVCtIbVs aVsIM
PLaVsIbVs hIs hILares eXpLICVIsse sInVs.
Vsta LICet, ChronICIs hIs VersIbVs Vsta trIVMpho,
HæC VbI nVnC opIbVs fIgItVr AVLa tVIs.
NVnC fVgIt anXIetas, VIDeorqVe sepVLta renasCI,
Et LeVo GeLDrIaCo LætIVs aXe CapVt.
sIC PhœbI VoLVCrIs post pLVrIMa sæCVLa PhœnIX
CLarIor eXeqVIIs sVrgIt ab Ipse sVIs.

sIC

Teque, tuoſque foris quæſito vivere victu :
  Quaſque tuis dederas non habuiſſe dapes.
Vnde igitur duris nova ſpes aut gratia rebus ?
  Vnde tot expenſas qui ferat, ullus erit ?
Ah ! pius eſt Aether : & vivunt æthere Divi;
  Quà quoque vix ſperes hi mala parte levant.
Huſſæus vates quot fulguris ignibus agnos
  Perdidit ? at raptas plus Deus auxit opes.
Conveniunt, hunc & propiùs ſolantur Amici,
  Nunc quoque non parvo, quà licet, ære juvant.
Sic ubi noſtra tulit volucri bona Mulciber igne,
  Pulvis & Eugenii Præſulis Aula fuit;
Quilibet hic certant miſeris ſuccurrere rebus :
  Auxiliiſque citò, ſuppetiiſque fovent.
At tua, *Sancte Pater*, virtus præit unica cunctis,
  Non levibus vulgus ſueta levare malis.
Hujus ut audiſti caſus ſtrepitumque ruinæ,
  Quis tibi non angor, quis tibi ſenſus erat ?
Hei mihi ! flexus ais, quo tu nunc inclyte Præſul,
  Reſque tuæ ſubitò procubuêre loco ?
Tu veteris lux urbis eras, gentiſque Sicambræ,
  Clarus avis; clauſo nunc lare pauper eris ?
Non ea mens, inquis, nec ſenſus hic Auſonis Aulæ :
  Cunctaque lapſa levas, auxilioque foves.
Mittis & huc ingens argenti pondus; & optas
  Hos reparent gazis Aſtra benigna lares.
I, nunc fortè roga, poſitis cur luctibus auſim
  Plauſibus his hilares explicuiſſe ſinus.
Vſta licet, Chronicis his verſibus uſta triumpho,
  Hæc ubi nunc opibus figitur Aula tuis.
Nunc fugit anxjetas, videorque ſepulta renaſci,
  Et levo Geldriaco lætiùs axe caput.
Sic volucris Phœbi poſt plurima ſæcula Phœnix
  Clarior exequiis ſurgit ab ipſe ſuis.

Sic

sIC faCIbVs tVa RoMa prIVs proCVL Vsta NeronIs
EXtVLIt & VVLtVs CeLsIor orbe sVos.
sIC ego, qVòD VIgeo, qVòD pVLVere teCta renasCor;
pars hæC aVXILII, neC qVoqVe parVa, tVI est.
DIgna CoLI pIetas sparsIs hæC IVre LIbeLLIs,
Pægasei DoneC fons HeLIConIs erIt.
Eſt ChronICIs DIgnVs, ChronICIs qVoqVe IVre VIgebIt
QVI DatVs, aC LatIo fLVXIt ab ære faVor.
PLeCtra IVVent aLIos, CItharæqVe CheleſqVe poëtas,
Non aLIVD VIrtVs VVLt tVa LaVDIs opVs.
DoneC, ALeXanDer, IVnCtIs hæC fabrICa VaLVIs
StabIt, & eX LatIâ Lege fVtVrVs apeX:
DoneC erVnt fLVVII, fLVCtVsqVe, & CastaLIs VnDæ,
RVraqVe præCIpItes In freta VoLVet aqVas:
SeMper honor, LaVDesqVe tVæ, tItVLIqVe VIgebVnt,
VnVs & aVgVstI tV Pater orbIs erIs.
VtqVe LIgas sCeptrIs, aC nVtV sIngVLa soLVIs;
sIC qVoqVe tV pLaVsVs CaVsa ferêre MeI.
VInCVLa rVpIstI, qVIbVs heV! qVasI CLaVsa tenebar,
CasIbVs & LVCtV pœne sepVLta Meo:
CasIbVs hIs fVLCrVM, soLatIa LVCtIbVs haVsI,
Ære tVo CVrtos VsqVe IVVante Lares.
sIC faC ALeXanDer, sVperos sIC LaVDIbVs æqVa;
QVâqVe faVent ILLI sIC qVoqVe parte faVe.
HI tIbI, Vera LoqVar (qVIa nos haVD possVMVs IpsI,
VerbaqVe sVnt tItVLIs InferIora tVIs)
HI tIbI, qVas possVnt, pergent eXoLVere LaVDes;
sponsoresqVe tVI MVnerIs hVIVs erVnt.
Et referent grates, & ab æthere Dona repenDent:
SI bona propItII, VeL pIa faCta VIDent.
Intereà EVgenIVs posIto tIbI popLIte sVppLeX
DebItor VsqVe tVI MVnerIs hVIVs erIt.
Nos qVoqVe tVrba tVIs noVa LVstra VoVebIMVs, annIs
Vt sVperes PyLIos, qVà potes, Ipse DIes.

Sic facibus tua Roma priùs procul usta Neronis
Extulit & vultus celsior orbe suos.
Sic ego, quòd vigeo, quòd pulvere tecta renascor;
Pars hæc auxilii, nec quoque parva tui est:
Digna coli pietas sparsis hæc jure libellis,
Pægasei donec fons Heliconis erit.
Est chronicis dignus, chronicis quoque jure vigebit
Qui datus, ac Latio fluxit ab ære favor.
Plectra juvent alios, citharæque, chelesque Poëtas;
Non aliud virtus vult tua laudis opus.
Donec, Alexander, junctis hæc fabrica valuis
Stabit, & ex Latiâ lege futurus apex:
Donec erunt fluvii, fluctusque, & Castalis undæ,
Ruraque præcipites in freta voluet aquas:
Semper honor, laudesque tuæ, tituli que vigebunt,
Vnus & augusti tu Pater orbis eris.
Vtque ligas sceptris, ac nutu singula soluis;
Sic quoque tu plausûs causa ferêre mei.
Vincula rupisti, quibus heu! quasi clausa tenebar,
Casibus & luctu pænè sepulta meo:
Casibus his fulcrum, solatia luctibus hausi,
Aere tuo curtos vsque juvante lares.
Sic fac Alexander, Superos sic laudibus æqua;
Quàque favent illi, sic quoque parte fave.
Hi tibi, vera loquar (quia nos haud possumus ipsi,
Verbaque sunt titulis inferiora tuis)
Hi tibi, quas possunt, pergent exoluere laudes,
Sponsoresque tui muneris hujus erunt.
Et referent grates, & ab æthere dona rependent:
Si bona propitii, vel pia facta vident.
Interea Eugenius posito tibi poplite supplex
Debitor usque tui muneris hujus erit.
Nos quoque turba tuis nova lustra vovebimus annis:
Vt superes Pylios, quà potes, ipse dies.

PRÆNOBILI, AMPLISSIMOQUE VIRO,

D. GUILIELMO DE BLITTERSWYCK,

SENATORI REGIO,

COLENDISSIMO QUONDAM HERO MEO,

NUNC PATRONO BENEVOLENTISSIMO

SIMON DAMERIVS RVRÆMVNDANVS,

PASTOR IN PAGO WEL,

Quem unus Moſa à Toparchia Blitterſvvyckia

DISIVNGIT.

DVm Patriam ardentem cano, deflendamque ruïnam,
Da veniam ſi verba dolor minùs apta miniſtret;
Quodque deeſt, ſupple ſolito, Vir Magne, *favore.*
Annua lux aderat, templis ſignata dicatis
Chriſtophoro, Triadiſque *ſacro lætiſſima cultu:*
Vndique feſtivis collucent compita ſignis,
Tympana feſta ſonant, cives fulgētibus armis,
Accenſiſque animis, grato per inane boatu
Non intermiſſis jaculantur in æthera flāmas,
Vexillis variis diſtincti; ex ordine Cleri
Candida procedit ſeries, & ſigna Parentis
Virginis, *alta gerunt cultâ cum veſte puellæ,*
Et juvenes Divûm ſtatuas, Divûmque relicta
Oſſa Sacerdotes; fidibus ſtrepit aura canoris.
Vndique lætitiæ ſunt argumenta, nec ulli
Tàm tenuis res eſt inopi, quin gaudia prodat.
Hos inter plauſus (heu mens ignara futuri!)
Quantula contemptu ſcintilla incēdia movit!
Stramineo tecto volitantem exordia flammā
Accepiſſe ferunt: ſunt hæc præludia damni.
Protinus in medias hinc illinc irruit ædes,
Diviſaſque trahunt diviſa incendia curas;
Nulla mora, Eugenius, *Clero, ſacriſque relictis,*
Civibus immiſtus, laſſataq; membra, manuſq;
Admovet ipſe operi, certatque extinguere flammam,
Quæ velut irarum impatiens, furibunda penates
Præſulis invadit; totamque à culmine vaſtat
Mole, opibus, ſcriptis ſpectandam inſignibus Aulam.
Carolus *hîc Cæſar* Quintus, *Regeſque* Philippi,
Reginæ, Regum Matres, Clariſque Parentes
Eugenii; *& terris major qui vivit olympo*
Antiſtes Damaſus, *calamoque diſertus & ore*
Cuyckius, *& gaudens* Caſtri *cognomine Præſul,*
Depicti tabulis & adhuc in imagine vivi,
(Dicere ſi liceat) mortem ſubiêre ſecundam.
Et tua, Nate Deo, *referentes acta tapetes,*
Arte laborati, & pretioſo ſtamine texti
In cineres abiêre, & dives multa ſupellex.
Tàm ſua non ſenſit Præſul, quàm damna ſuorum.
Et jam Maminei *vicina palatia flagrant*
Principis, & protēſa licèt ſint nuper ab arte,
Atque induta novos aſpectus, Principe dignos,
Non tamen his rabies Vulcani & flamma pepercit.
Et Camera, & ſummi ſedes *antiqua* Senatûs,
Et monumenta illic multos ſeruata per annos
Extemplò jacuêre ſuis oppreſſa ruïnis.
Ars ſtupet in damnis, fallit labor irritus artem;

Flam.

Flamma ferox vires, vinci indignata, resumit,
Et nova ab infuso capit incrementa liquore.
Rura Pater, miseram qui præterlabitur Vrbem,
Admirant sparsis ignes increscere lymphis,
Dicitur ipse suis timuisse incendia in undis,
Inque caput primo voluisse à fonte reverti:
Hoc quoque persuârant trepidantia Numina Nymphæ
Contiguo Mosæ, quem sulcat plurima puppis,
Nî patriæ utilitas, & mens generosa resistat:
Dira sed attonitus stitit ad spectacula flãma
Cursum, illâque die lentæ incessêre carinæ.
Arebant cives æstu, vitamque tuentes
Agmine conferto portas, camposque petebant.
Heu passim semiusta jacent, contritaq; saxis
Corpora per vicos; conjux gemebunda maritum
Quæritat, & prolem, charissima pignora, mater.
Tristius his aliquid, magis & miserabile visu,
Mœsta parens nati, quem lecto prenderat ignis,
Ossa perusta sinu, & cineres, gestabat aperto.
In medio Ruræ vallata stat undique muris
Ædes, Virginibus jam dudum habitata sacratis
(Inde Monasterium vero cognomine dicũt)
A Duce Geldriaco saxo cõstructa vetusto est;
Materiam sed vincit opus: stagnãtibus undis
Stant imposita super tanta fundamina molis,
Cetenis plus quàm lustris; & culmine summo,
Circùm marmoreis ducit distincta columnis
Porticus, & totam monstrat cum mœnibus urbem.
Vrbe fuit totâ nusquam clementior ignis:
Diripuit tecta, excelsasque cacumine turres,
Cætera deseruit, seu victus forte tremendâ
Majestate loci, seu movit longa vetustas.
Quod tamen hîc parcit, damno majore rependit,
Cùm reliquas, Euris agitãtibus, occupat ædes.
Nec tibi sacra Cohors sub Jesu Nomine tutum est:
Credo inferna illic flãmam stimulavit Erynnis,
Virtuti Patrum, & docto indignata labori;
Vsque adeò exarsit: selectos undique libros,
Totque virûm monumenta, scholas, templumque, domumque,
Cumque suis tectis venerandas diruit aras,
Quæque ibi fortunæ metuens dispẽdia summæ,
Deposuit civis pretiosa monilia & aurum.
Ne te præteream sanum inter utrumque locata
(a) Quæ trahis à sancto dignum te Pneumate nomen,
Pontificum quondam sedes, pariterque sepulchrum,
Quàm deserta jaces? flammis tuus omnis abivit
Iam decor, & silet assidui symphonia cantûs.
Hei, tua quæ facies! nudata es vertice summo,
Intus & indignâ squalles caligine fumi:
Altera cœlesti dejecta est fulmine turris,
Altera jam nuper flammis communibus arsit.
Iamque foro medio Vulcanus corripit ædes.
Limite in extremo domus est, quam Nobilis Hospes
Blitterswyckorũ claro de sanguine cretus
Incoluit, Geldris dum ferret jura Senator:
Vtque erat is pietatis amans, de marmore factam
Hîc Divæ posuit statuam, lumenque dicavit,
Et modò præsenti perdurat in Hospite cultus:
Huc ubi pervasit, subito stetit impete flãma;
Per fora non potuit plures tetigisse penates.
Publica non tantũ, deserta atq; invia tentat,
Carthusiæq; domus molitur rumpere claustra.
Tunc demum in magnum diuturna silentia planctum
Convertêre Patres, admiranturque ruentis
Culmina non visæ, quæ nunc malè cernitur, Vrbis.
Intereà tabulata ruunt ingentia templi,
Cumq; gravi sonitu sublimi è culmine turris.
Hinc aliâ mox parte malũ loca frugibus apta
Vastat, & heu (miseris quæ spes fuit una superstes)
Devorat annorum messes, congestaque grana:
Namque hîc pauperibus fixis est certa diebus
Et Cereris domita, & cocti mensura liquoris;
His vicinæ ædes, vicinis ignibus ardent
Vrsulidũ, flãmas cantu haud flexêre Sorores.

(a) Templum S. Spiritus, antehac Cathedrale,

Nil

Nil planctus potuére, ruunt fanumque, domusque
Cum gazis; & plectra jacēt immersa favillis
Quin etiam sacra turba Deo, cui nomina fecit
Insula, *queq; inopis, sequitur vestigia Claræ;*
Ambæ delubris, notæ virtutibus ambæ,
Nil meritæ flāmas, sorte involuuntur eâdem.
Vulcano intereà, quartâ vix parte diei,
Mille domus centumq; super dominãte ruére.
Et nisi subsidium loca mox vicina tulissent,
Atra fames miseram mutasset funere vitam.
Tum pius Eugenius, *magnam cûi mentem animumque*
Tempore in afflicto à teneris Deus indidit annis,
Ipse sui oblitus, miseris succurrere tentat,
Sed placidis verbis (nam tantùm verba supersunt.)
Cladis fama ingens Romanus ocyus Arces
Occupat. & SANCTO defert lamenta PARENTI.
Illius Pietas generoso in Pectore regnat,
Majestas & Amor. Qui Martia tela, facesque
Condere, quique potes pacem dare, jungere Regna;
Nostris, Magne Pater, *prœbes solatia rebus;*
Auri pondus adest, Authorq; effulget in auro,
Quo repares dejecta Vrbis monumenta, animosque;
Hinc, Alberte, *inopi gaudes succurrere turbæ,*
Sicque tuâ Præsul curâ prodesse laboras,
Summus Alexander *donis. Hoc jure Poëtæ*
Laudabunt Pietatis opus, serosque per annos
Stabit apud memores memorãdi gratia factis
Quin etiam Authorem donorum saxa loquentur.

Vrbs RVræMVnDana ConfLagrat.

APPROBATIO.

RVramunda, insignis Sicambriæ Civitas, *Vigens, Ardens, Renascens,* per Nobilem, Amplissimumque Dominum *Guilielmum de Blitterswyck*, nuper Catholicæ suæ Majestatis in Suprema Geldriæ Ducatûs Curia Consiliarium, nunc Magni apud Mechlinienses Concilii Regium Senatorem, accuratè, solidè, atque eleganter descripta, antiquitates multas, raras, ac scitu dignissimas complectens, Sanctissimo Patri *Alexandro VII.* militantis Ecclesiæ in terris, Capiti visibili, Christi verissimo Vicario (cui in Petro dictum est: *Pasce oves meas*) dedicata, litteris, affectu, observantiâ, & gratitudine plenissimis, ac lectu gratissimis, lucem publicam meretur. Datum Bruxellæ, 21. Octob. 1666.

MATTHIAS MIDDEGAELS, *Decanus insignis Collegiatæ DD. Michaëlis & Gudulæ, Archipr. Brux. lib. Censor.*